



TUM.

PATHOLOGIÆ MEDICÆ
PARS PRIMA,
SISTENS
PATHOLOGIAM
GENERALEM.

CAPUT I.
DE
PATHOLOGIA IN GENERE.



I.

*Pathologia medica tanquam altera pars Theorie
medicæ, Hominem considerat in statu preter-
naturali atque morboſo.*

SCHOL.

Quemadmodum Physiologia medica notitiam suppeditat de statu
hominis vivi naturali, modumque declarat, quo corpus nostrum, ex
materia heterogenea, & valde fragili compositum, inter tot tantasque
externas injurias naturalem suum statum habeat atque retineat, & sa-
num dicendum sit, simulque criteria certa præsentis sanitatis submini-
strat, in variis diversisque actionibus & functionibus nostri corporis,
Goschwitzii Pathologia.

A

que

quæ partim animales, partim vitales aut naturales audiunt, sese manifestantia: ita, cum quotidie videamus, homines ægrotare, nostrumque corpus variis diversisque morbis subjici, doctrina pathologica ex opposito considerat statum corporis humani vivi præternaturalem atque morbosum.

II.

*Pathologia est doctrina de MORBIS, eorum SYMPTOMATIBUS,
& utrorumque CAUSIS.*

SCHOL.

Suppeditat enim hæc doctrinæ medicæ pars ea, quæ morbum strictè concernunt, ejusque fiendi modum declarant, ex veris & genuinis causis. Unde tam læsionem ipsam ejusque formalitatem, cum subiecto generali & speciali, quam ejus consequentias aut symptomata, præcipue essentialia, & causas, quæ vel læsionem simpliciter, vel symptomata produxerunt, contemplatur, modumque, quo partim causa & læsio, partim symptoma cum læsione cohæreat, & unum ex altero vel manifeste, vel maxima probabilitate producatur.

III.

*Objectum pathologie generale est corpus humanum vivum,
vel homo vivus: quatenus dispositioni morbosæ subjicitur.*

SCHOL.

Quoniam pathologia eam ob causam corpus humanum considerat, ut læsiones ipsi illatæ post cognitionem causarum, quantum possibile, removeantur, & sanitas restituatur, necesse est, ut corpus in tali existat statu, sub quo hæc intentio impetrari potest: Cum autem hoc in corpore demortuo fieri nequeat, necessario superioris asserti veritas elucescit.

IV.

*Objectum pathologie speciale constituunt morbi & pathe-
mata, quibus corpus humanum affligitur, una cum causis, a
quibus producuntur.*

SCHOL.

Primaria enim cura medici nunc in eo consistit, ut in causas veras inquirat, quæ morbum aut symptomata vel produxerunt, vel pro-
duce-

ducere valent, sive illæ sint in ipso corpore prognatae atque hærentes, sive ab extra ad corpus delatae, illudque varie alterantes.

V.

Hoc ipso Pathologia seſe diſtinguit ab aliis medicina theoretiſe & praktice partibus, que, licet etiam circa morbos verſentur, tamen non eodem reſpectu circa illos occupat& eſſe ſolent.

SCHOL.

Ita enim Pathognomia & Semiologia medica circa morbos, statimque hominis morbosum hærent, sed neque ipsam formalitatem passionis, neque symptomata accendentia & morbum ſequentia, nec multo minus morborum atque symptomatum causas evolvunt; verum tam circa signa morborum communissima, vel morbum generatim adesse indicantia, & signa prognostica: quam circa ſingulorum morborum, ſpecie ab invicem diſtinctorum, signa eſſentialia & discretiva occupatæ manent.

Nec minus Therapia ipſa rem habet cum morbis eorumque cauſis, ſed longe alio reſpectu quam Pathologia, dum unice morborum atque cauſarum morbiſicarum remotioni ſtudet per remedia appropriata, aut per certas & adæquatas regulas, morbos, cauſasque illas producentes, präoccupare & anteverttere conatur.

Pathologia autem primo morbum ipsum, in quo conſistat, & quinam ſit, conſiderat; deinde conſequentias moleſtas, morbum ipsum vel ſequentes, vel comitantes perpendit, & denique cauſas evolvit, unde tam morbus, quam ſymptoma originem duxit, ſimulque rationa-lem inquisitionem iuſtituit, qualis connexio morbum & cauſam, vel ipſas cauſas diuerſas intercedat, & quo ordine ac modo fiendi hæc ita inter ſe invicem conſpirent.

VI.

Pathologia merito diuiditur in Pathologiam physicam & medicam.

SCHOL.

Illa ſolis ſpeculationibus physicis inhæret, omnesque perconta-tur ſine diſcrimine cauſas, a quibus physico nexo modoque fiendi, læ-ſiones produci poſſunt. Hæc vero, medica nempe Pathologia,

eas potissimum rimatur causas, quas per artem & artis instrumenta vel corrigere, vel removere potest, vel quorum effectus proximos ad minimum ita infringere valet, ut æger ad pristinam reducatur valitudinem.

VII.

*Physica pathologia in se spectata ad medicum, qua tam
nihil pertinet, nec ullam ipsi praestat utilitatem, quippe
qui per causarum, ad physicum forum solum pertinentium,
licet accuratissimam considerationem ac inquisitionem, plane
nihil ad morborum sanationem contribuere possit.*

SCHOL.

Ut rem aliquo modo clariorem reddamus, exempli loco adducere libet, quod sciamus, aërem tam frigidum nimis, quam excessive calidum, varios in corpore humano producere affectus morbosos, tam humores quam partes solidas, earumque fibras motrices afficiendo, & alterando, quo ipso secreciones & excretiones varie turbantur, & ita per consequens sanitas læditur. In hoc casu pathologia physica jure meritoque occupata est circa indagationem accuratam physici nexus, causam & effectum intercedentis; unde inquirit, quænam particulae aëris hunc vel illum in corpore effectum producere possint, an particulae hamatæ, rotundæ, obtuse, acuminatæ, salinæ, sulphureæ, aut quæcumque aliæ, & quonam agendi modo physico & materiali id efficiant: an v. g. aër frigidus principio quadam acidio specificè humores coagulet, atque inspisset, aut fibrofæ partes constringat, ut inde excretiones periphericæ impediантur.

Quod si itaque medicus secundum hanc physicam causarum contemplationem, rem aggredi, atque secundum ordinem ad therapiam progredi vellet, necessarium maxime esset, ut primario de particularum aëris noxiarum correctione & alteratione sollicitus esset, cum utique non negari possit, eas simul humorum mixtionem aliquando penetrare, ideoque talia eligenda esse remedium generæ, quæ exacte figuris illis particularum aërearum opposita

sita essent, & ita plane physico atque pure mechanico operandi modo dictas particulas in corpore corrigere, alterare, inverttere atque expellere possent, ut ita per remotionem causæ effectus etiam removantur.

Quis autem non videt, has intentiones & indicationes licet physico respectu legitimas, extra medici potestatem positas esse, nec non ipsum suppositum nexus causalitatis, quoad posse quidem probabilem, quoad esse autem nondum penitus evictum esse, multo minus autem inventionem remediorum plane appropriatorum, & specifice quadratum facilem esse.

VIII.

Sola autem pathologia medica vera utilitatem habet in foro medico.

SCHOL.

Hæc in modo citato easu contenta esse potest ac debet, si notarium sit, quod aër frigidus, qua frigidus, non modo fibras cutaneas sensibiliter afficiat, & ad constringationem disponat, sed simul humores sub ambitu corporis hærentes, revera spissiores reddat, eoque ipso partim humores, partim fibras, in motu suo alterando, transpirationem impedit, impuritatum coacervationi faveat, & ita sanitatem lœdat.

Ex hac consideratione, partim ipsius facti revera obvii, partim etiam modi, quo noxæ inde pullulantes sese invicem excipiunt atque producunt, (quæ consideratio vere medica est) emergit illud consilium practicum, pro sanitatis restitutione necessarium; quod humores coagulati aut inspissati iterum sint attenuandi, & resolvendi, pori autem cutis referandi, eumque in finem fibrarum spasmodus inductus relaxandus, quo impuritates hærentes collecti liberum denuo inveniant exitum atque egressum: nec non imposterum corpus per sufficientia integumenta, aut per plenariam aëris frigidi simplicem evitationem, ab ejusdem injuriis præcaveri debeat & possit, ne de novo easdem molestias incurrat: Quo ipso sane omne id impetrabit medicus, quod pro restituenda & conservanda sanitatem necessarium existit.

6 PARS I. CAP. I. DE PATHOLOGIA IN GENERE.

Unde patet, longe aliam esse considerationem Pathologæ medicæ, quam physicæ, prout alio exemplo, de vulneris differenti consideratione, idem illustris Stahlius ob oculos posuit.

IX.

Pathologia medica vera requirit vera principia & fundamenta, e quibus rerum in hoc foro contingentium, rationes vel manifestissimæ ac firmæ, vel per legitimam consequentiam ad minimum maxima probabiles, erui possunt.

SCHOL.

Siquidem in superioribus jam indigitavimus, pathologiam physicam nudam & solam, ad medicinam inde faciendam neque pertinere, neque sufficere; ita maxime monendus est medicus, ne in ejusmodi principiis & fundamentis solus quasi & unicus hæreat, quæ hisce causarum enodationibus nimium immorantur. Nullatenus quidem rejicimus hic studium physicum, sed utique in ea sumus sententia, quod Physica in planioribus reddendis morborum causis, si rite adPLICetur, magnum adferre possit lumen, unde hoc sensu illam quoque commendamus. Præter hanc autem, tanquam necessaria veræ Pathologiæ fundamenta, commendamus structuræ corporis, & officii singularum partium debitam notitiam: ex hac enim ea potissimum explicare poterit medicus, quæ ad corporis mechanismum pertinent, nec sine ejus fundamento explicari possunt. Deinde huc quoque pertinet vera status naturalis contemplatio, & consideratio justa vitæ, & ordinis vitæ ac sanitatis, cum ponderatione rerum illarum, quæ in statu naturali sanitatem juvant; ita enim facili negotio ad illorum cognitionem quoque perveniet, quæ ordinem naturalem turbare possunt. Quibus ultimo adjungimus observationes veras, circa morborum historiam collectas, a quibus comparationem instituere poterit ad casus similes, cui negotio haud minimum luminis adferunt repetitæ hominum variis ægritudinibus defunctorum sectiones, quæ, si sèpius sibi respondeant, & idem declarent, tanto certiorem in enucleandis similibus casibus, & inveniendis causis, reddere possunt medicum.

CA-

CAPUT II. DE MORBIS.

I.

Morbus sensu medico, & quidem strictiore sumptus, est lesio quedam, sive in partibus solidis, quoad structuram, & continuitatem, aut illarum officium; sive in partibus fluidis, quoad quantitatem, aut qualitatem, contingens: quæ vel physico, vel morali nexu, actionum vitalium, naturalium, aut animalium perturbationem, aut extraordinariam intensionem post se trahit.

SCHOL.

Dicitur equidem communiter, & ex vulgari sententia morbus omne id, quod principaliter patitur æger, & tanquam molestum aut periculosum sentit: de quo dici potest, quod præter, aut contra naturalem sanitatis statum, in corpore contingat. Verum enim vero, si hanc morbi definitionem rite ponderemus, satis manifeste elucescit, eandem haud adæquatam, nec sufficientem esse, cum hac ipsa definitione morbus a symptomate non debite ac legitime distinguatur, certissimumque sit, symptoma æque molestum, & pro re nata sæpiissime & periculoso esse, ac ipsum morbum.

II.

Hoc sensu atque intuitu lesio talis, quam strictè morbum vocamus, aliquando jam actu præsens, aliquando vero immi-
nens, aut ad minimum incipiens saltem esse potest.

SCHOL.

Læsionem actū jam præsentem vocamus talem partium vel fluidarum, vel solidarum, a statu naturali declinationem, quæ manifesto, aut satis probabiliter in sensu incurrit, suamque præsentiam per signa sa-
tis certa declarat: imminentem vero, aut quasi incipientem læsio-
nem

nem dicimus, quando v. g. dispositio quidem proxima ad notabilem vel solidarum vel fluidarum partium, quoad strueturam, aut mixtrum, a causa praesente presto est, ita ut natura aliqualem ad minimum aestimationem moralem de illa instituere possit, motusque laesioni tali proximae metuendae opponere valeat, atque necesse habeat. Sic priori intuitu vel actualis sanguinis spissitudo, vel ipsius abundantia excessiva, vel solidae alicujus partis obstructio & infarctus, laesionem praesentem, respectu humorum partim quantitatem, partim qualitatem afficien tem, respectu solidae autem partis, officium ipsius laudentem constituit, contra quam natura necessario pro viribus insurgere debet, ut tempestive removeatur.

Posteriori sensu, sub morbis, quos malignos vocamus, causa morbis adesse potest, & quidem peregrina, intimore insinuatione & diutiore innidulatione mixtionis dissolutionem certo productura; quæ tamen tunc temporis, ubi natura motus salutares pro ejus excretione suscipit, ipsam mixtionis animalis dissolutionem nondum produxit, sed præsentia sua proxime illam minatur, aut forsan levissimo saltu gradu nocere coepit, interea tamen ansam praebet, ut natura illius excretionem tempestivam, debitum hunc in finem susceptis motibus, curet.

III.

Non semper id, quod communi loquendi modo morbum vocamus, revera morbum aut lesionem constituit.

SCHOL.

Primo intuitu hoc assertum paradoxon videri potest, si quis diceret, febrem non esse morbum: interea verissimum manet assertum, sui legitimam considerationem apud medicos praticos maximopere urgens. Notissimum quidem est, in communi non solum vita, sed a medicis etiam, molestiis illis, de quibus ægri plurimum conqueruntur, saepissime morborum nomen imponi; cum tamen minime hoc nomen mereantur, illamque laesionem sive factam, sive metuendam, non consti tuant, cui Medicus necesse haberet, ut obviam iret, aut directe consilia sua opponeret, aut quam studiose oppugnare deberet; etiamsi ipsius

ipsius officii sit, ut hasce quoque molestias, per læsionis, aut causarum lædientium remotionem, removere studeat.

IV.

Sunt potius illæ, de quibus ægri conqueruntur, sensations molestæ, et si non omnes, tamen plurimæ, & frequenterissime, nil nisi motus naturæ autocratici, quibus cœn remedius naturalibus atque domesticis, pro corrigenda, aut foras eliminanda causa morbifica, & læsione presente removenda, aut imminente præoccupanda, optimo & salutari consilio utitur.

SCHOL.

Hoc assertum ut clarius illustremus, necesse erit, ut brevissime ex physiologicis in memoriam revocemus, corporis nostri admodum fragilis, summeque corruptibilis conservationem ac præservationem ab actuali putredine, post ingestionem illorum, quæ illud nutritre possunt, primario, imo unice impetrari per motus secretorios & excretorios, quotidie in corpore vivo & sano fientes, ac debito ordine continuatos; qui motus, cum in statu naturali & quotidiano non nisi materias consuetas, ordinarias, & quotidianas pro objecto habeant, nulla extraordinaria exacerbatione aut excitatione indigent, sed placide, ac sine molestia a natura peraguntur; ita ut sub illorum ordinaria continuatione, debito vigore, omnes quoque actiones corporis vivi, sive vitales, sive animales, aut denique naturales, vigere dicantur.

V.

Omne id, quod ita placide & ordinarie in statu naturali & sano quotidie contingit, id essentialiter quoque accidit in plurimis morbis, nec nisi gradu aut ordine differt ab eo, quod naturale audit.

SCHOL.

Cum enim res præternaturales, i. e. causæ morbificæ, sive in corpore progenitæ, sive ab extra in corpus delatæ, vel veram læsionem humana Cosehwitzii Pathologia.

rum aut partium solidarum produxerint, vel proxime illius inductionem minitentur, natura autem in sua proxima potestate nil nisi humores, ac motus habeat; sane non contrariatur rationi, quod per eosdem, quibus ad sueta quotidie est, motus secretorios & excretorios has causas morbificas, tanquam præternaturales & heterogeneas, removere studeat, & cum materia excernenda sit vel quantitate vel qualitate extraordinaria, motus quoque extra ordinem dirigat, atque intendat, iisque invigilet, & pro re nata, atque periculi diversitate, vitalibus actibus magis invigilando, reliquis, tanquam in comparatione cum illis, tunc minus necessariis, in tantum supersedeat.

Unde fit, ut varia pathemata in corpore sentiantur minus consueta & extraordinaria, qualia v. g. sunt frigus aut æstus p. n. sub ita dicta febre, & hinc dependens præcordiorum anxietas, capitis dolor, sitis, lassitudo, sudor, appetitus dejectio, vigilie, rubor faciei, aliaque, quæ secundum morrem receptum tam ad morbum, quam ad symptomata referuntur, cum tamen, si verum dicere fas est, ipsa febris non pro morbo aut læsione ipsa, sed potius pro salutari naturæ actu, contra læsionem suscepto, sit habenda.

Id quod in pluribus adhuc morbis, sub pathologia speciali clarius evadet, & summag in medicina practica utilitatem habet, quo medicus ansam ubique capiat motus illos naturæ salutares quounque modo sublevandi, aut si quoad ordinem vel gradum a recta reclinent via, in justum ordinem redigendi: quippe quod verum existit medici officium, in eo consistens, ut verus sit naturæ minister.

VI.

Morbi superius data definitio tollit quoque alias morborum divisiones, minus utiles, aut plane ficticias.

SCHOL.

Cum enim in antecedentibus dictum sit, morbum esse læsionem aliquam, sive in partibus solidis, sive fluidis, secundum diversos citatosque respectus occurentem, non opus erit tritæ alias atque consuetæ divisionis morborum, qua dispescuntur in morbos conformatioñis, compositionis, læse unitatis, & intemperiei: morbi enim conformatioñis, compositionis, & læse unitatis respiciunt partes solidas, earumque structuram & officium: morbi autem intemperiei respiciunt humores, eorumque crasis vel qualitatem, de quibus imposterum plura erunt dicenda.

Longe

Longe minoris autem necessitatis ac utilitatis est repetitio subdivisionis veteribus usitatæ, qua morbos diviserunt in morbos intemperie, quatenus cum vel sine materia existunt, cum sane intemperies sine materia sit non-ens, sive ens phantasiæ, & intemperies sit qualitas materiae substratæ, de qua loquimur, ita ut absonum sit, materiam a qualitate separare velle. Quapropter hæc tanquam supervacanea relinquimus, & suo loco ea, quæ de morborum differentia dicenda sunt, reservamus.

CAPUT III.

SUBIECTO DE MORBORUM.

I.

Subiectum morbi generalissimo sensu dicitur id, quod morbum patitur.

II.

Cum hoc intuitu secundum diversos respectus diversa morborum subjecta in conspectum venire possint, satius esse putamus, si triplex morborum subjectum constituamus: unum nempe generale, alterum speciale, & tertium specialissimum.

III.

Generale morborum subjectum aliud haud constituendum erit, quam homo vivus.

SCHOL.

Hic unice est, de quo in tota pathologia medica sermo est: quamvis enim notissimum sit, bruta quoque ægrotare, morbisque subjici; nunquam tamen medico res est cum illis, sed huic solum corpus humanum vivum concreditur, ut ejus ægritudinibus medeatetur, atque succurrat, quoniam illud ex naturali sua conditione mixtionis ad morbos & læsiones admodum primum existit, & per hujus læsionem actiones animæ quoque diversimode lœduntur.

IV.

Alterum, nempe speciale magis morborum subjectum constituant individua singula, que diversis respectibus morbis subjiciuntur.

SCHOL.

Quamvis enim homines in genere præ brutis, ægritudinibus afficiantur, nihilominus tamen non unus æque ac alter hominum, pari facilitate, gravitate, duratione, continuatione, recursu atque frequentia, morbis subjicitur, sed unus præ altero firma magis sanitatem gaudet, aut majorem ad morbos dispositionem possidet, iisque sèpius, frequenter, facilius subjicitur.

V

Ratio hujus differentiæ individualis dispositionis ad morbos desumi debet a variis circumstantiis, vitam humanam comitantibus, & excipientibus, partim naturalibus, partim non naturalibus.

SCHOL.

Sic enim etas, sexus, diæta, genus & regimen vitiæ, hæreditaria dispositio, & consuetudo, variis respectibus symbolum suum hoc conferunt, quod ut patescat, singulas has circumstantias breviter percurremus.

VI.

Ætatem si consideremus, ordinarie facilius in genere morbis subjiciuntur pueri & senes.

SCHOL.

In utraque hac ætate enim ut plurimum comparative quasi deficit partium solidarum robur tonicum, quod pro vegeta motuum secretoriis & excretoriis prosecutione requiritur; unde impuritates, præcipue serosæ mucidæ, in sanguine & reliqua humorum massæ augmentur, digestionem ciborum, æque ac circulationem humorum deinde impedientes, viresque reliquas successively supprimentes: cum e contrario ætas virilis vegeta, vegetas quoque secretiones & excretiones conjunctas habeat, quibus sanitas quoque magis illibata conservari potest.

VII.

VII.

Sexus disparitatem si inquiramus, & perpendamus, quiam præ altero, ex causis illi inherentibus, morbis subjiciatur. sane sequior sexus pronior non modo ad morbos, sed revera magis, frequentiusque subjectus deprehenditur morbis, quam virilis, & hoc varijs ob causas, in sexu virili non occurrentes.

SCHOL.

Sic enim viri excretioni illi sanguineæ ordinariæ, & inevitabili, per fluxum menstruum subjecti non existant, ideoque nec illis affectibus solennioribus, qui hujus fluxus turbationes sequuntur, obnoxii evadunt: & quamquam quodammodo in contrarium allegari posset evacuatio hæmorrhoidalis, quæ in viris similia incomoda, si turbata fuerit, inducere possit; notorium tamen est, hanc excretionem, licet multos corripiat, quoad numerum, viros, tamen nequaquam omnibus, multo minus, quamprimum puberes fiunt, familiarem esse, id quod ratione fluxus menstrui omnibus fœmellis, postquam pubertatis terminum attigerunt, obtingit, aut ad minimum secundum naturæ leges obtингere debet.

Unde pater, incomoda & sanitatis pericula, turbatam hæmorrhoidalem excretionem excipientia, in sexu virili longe rariora quoad numerum esse & comparationem, quam in fœminis noxæ sanitatis, a mensium vitio pullulantes. Ne dicam speciatim de occasionibus labefactatæ sanitatis, a graviditate, puerperio, fluxu lochiali, lactatione infantum, aliisque, a quibus omnibus ac singulis immunes manent viri, corripiuntur fœminæ.

VIII.

Sic quoque hereditaria dispositio ad certos quosdam morbos proniora reddit individua, ad eos nempe, quibus parentes, aut agnatorum antecedentium aliqui subjecti fuerunt.

SCHOL.

Sicut enim totum negotium hereditariæ dispositionis fundatum est in consuetudine motuum & similitudine temperamentorum, qua gaudent

dent subjecta; ita haud difficile est intellectu, quomodo morbidae passiones ex hoc fundamento ortum ducere possint: si enim infantes sub formatione sua easdem obtineant, quoad numerum, densitatem aut laxitatem, robur aut mollitatem, fibras partium solidarum, eosque quoad conditionem fluxilitatis aut spissitudinis, humores, quibus gaudent parentes; necesse est, quod similis quoque ordo ac consuetudo motuum vitalium secretiorum inde emergat. Unde etiam sane est, quod multi infantes parentibus quoad formam & animum ita similes sint, & ii, qui maximam cum illis similitudinem habent, omnium facilime quoque morbis parentum corripiantur: quorū tamen non minus facit consuetudo morum, a parentibus ascititiorum.

IX.

Etsi hæreditaria dispositio magnum quidem jus in liberos habeat, nullatenus tamen absolutus effectus, in propagatione morborum, illi est tribuendus & adscribendus, ita ut deficien- tibus licet omnibus aliis concurrentibus causis, tamen necessario iidem morbi apud liberos progigni deberent.

SCHOL.

Notandum enim est, hæreditariam illam dispositionem tantum saltem jus in corpora exercere, ut illa præ aliis facilius illis subjici possint morbis, quos passi sunt parentes, si iisdem causis materialibus indulgent, respectu diætæ, generis vitæ, aliisque moralibus causis, ab animali pathematibus oriundis, pariter subjecta existant.

Quodsi autem liberi ratione reliqui vitæ generis, aut diætæ, aliter se gerant quam parentes, temperantiores sint præ illis, loco vitæ otiosæ laboriosa gaudeant, a multis sane sese præcavere poterunt morbis, quibus alias ex hæreditaria dispositione subjecti fuissent: sicut ex opposito etiam haud rarum est, quod infantes diætæ vitiis indulgentes, tanto cito sibi accersant parentum morbos, ad quos antea jam proni existunt. Hæc dispositio a parentibus in liberos translata non solum sese extendit ad certos quoad speciem morbos, sed generalis quoque sepiissime existit causa concurrens, imo antecedens, ut infantes a parentibus infirmis,

pro-

prognati similiter quoque infirma semper gaudeant valetudine, atque per totam vitam variis multisque morbis concutiantur.

X.

Nec minus ex consuetudine ægrotandi, multi homines subjecta morborum præ aliis sunt, quando vel eodem quoad speciem morbo sepius affliguntur, vel ab eodem diutius detinentur, ut data leviore quoque causa & occasione, de novo eundem experiantur.

SCHOL.

Hoc tota die nos docent febres intermittentes, quarum recursum multa individua non modo satis facile in genere, sed certis, iisdemque præcise temporibus anni experiuntur, si forsan eodem tempore eundem in diæta committant errorem, quem alio tamen tempore sine præjudio sanitatis committere possunt ac solent. Vel idem experiuntur satis multa individua, respectu morborum variorum in genere, quando uno aut aliquot morbis diutius detenta ita ægrotationibus adsuefunt, ut viribus in genere debilitata, leviores quoque errores ferre nequeant, sed ex qualibet levi occasione varia pathemata incident, ideoque valetudinariorum titulum reportent.

XI.

Similiter ex diæta vitio multæ personæ individualiter præ aliis morborum subjectum in specie constituunt.

SCHOL.

Notissimum enim in genere est, illos ordinare firmiore sanitatem frui, qui diæta utuntur ordinata, temperata, & cibis vescuntur, ad minimum pro consuetudine, evpeptis, potusque admittunt, quantitate & qualitate temperatos, sufficientes tamen & dilutos, præ illis, qui intemperanter quoad quantitatem, aut qualitate maxime diversos ingurgitant cibos, hisque primas obruunt vias, variasque cruditatibus colligendis & augendis præbent occasiones. Quamvis enim nec ita rara in contrarium allegentur exempla, de illis, qui sub inordinata diæta satis firma tamen gaudent sanitatem, nequaquam tamen horum numerus priores superabit, regulam-

gulamque ordinariam formabit, neque in tantum valebit, ut non fere semper incommoda, inordinatam diætam sequentia, tandem sese prodant, licet ad tempus satis longum aliquando fileant.

XII.

Sicut diæta plane inordinata causas suppeditat, ut quædam personæ faciliter corripiantur morbis; ita ex opposito culpa quoque aliquando rejicienda est in diætam nimis ordinatam & scrupulosam.

SCHOL.

Quamvis enim hæc in se spectata, & quatenus ordinata existit, causas & occasiones ad ægrotandum positivas non suppeditat, tamen in tantum occasionem præbet, in quantum teneriora reddit subjecta, ea que teneriori diætæ adsuescit, ut commissio deinde leviore quoque errore diætetico, tanto facilius promptiusque afficiantur, atque ægrotent.

XIII.

Genus & regimen vita si spectamus, simulque diætæ intemperantiam supponimus, illi sane maxime omnium morbis subjiciuntur, qui vitam otiosam & sedentariam agunt.

SCHOL.

In his enim abundantia sanguinis & humorum, fecundissima morborum mater, augetur, humores sub motibus corporis seignioribus & ignavia spissescunt, nucescunt, variasque discrasias patiuntur.

XIV.

Tanto magis morbis subjiciuntur, qui cum vita sedentaria, simul speculabundam & meditabundam agunt.

SCHOL.

Hinc varia sanitatis damna patiuntur literati, qui non modo corporis motus necessarios negligunt, sed animo quoque rationalibus actionibus plus justo intenti, actiones vitales, motusque secretorios maxime turbant, unde non modo humorum spissitudinem, sed respirationis impedimenta, circuli sanguinis redartationem, appetitus prostrationem, vigiliusque

liasque incurunt, ac tandem ceteris paribus, illis maxime obnoxii sunt morbis, qui a genere nervoso debilitato vulgo derivari solent.

XV.

Nec minus animi pathematibus gravioribus addicti, iisque valde indulgentes, longe proniores sunt ad morbos, præ illis, qui animo quieto, tranquillo, placido gaudent, ita tamen, ut pro diversitate animi pathematum, diversis quoque, non vero omnibus subiiciantur morbis.

SCHOL.

Sic enim iracundiæ dediti, omnium facillime corripiuntur morbis biliosis, spasticis gravioribus, convulsivis, arthriticis atque acutis: mœstiæ autem nimiaæ indulgentes, viscerum infarctibus, morbis chronicis, quartanæ, aliisque id generis, præ aliis obnoxii sunt: quemadmodum meticulosi, animi deliquia, & lipothymias facilius experiuntur.

XVI.

Simili modo ex generis vite fundamento certi aliqui morbi, certis saltem personis, ratione opificii, quod tractant, familiares, originem ducunt.

SCHOL.

Ita v. g. notum est, illos, qui deaurationibus metallorum vacant, facilis artuum tremoribus subjici; metallifosores, aut potius fusores, arthriticis ac paralyticis passionibus vexari. Lapidicidas, ex pulveris saxorum attractione, variis pectoris obstructionibus, infarctibus, asthmaticis passionibus, spadone, imo phthisico malo laborare: prout hac de re instar omnium doctissimi Ramazini scriptum de morbis artificum, fusius loquitur.

XVII.

Tertium, sive specialissimum morborum subjectum idem est cum parte corporis, quam affectam dicere solemus: in qua nempe vel morbus ipse, i. e. laeso, vel causa morbifica, fixam magis sedem habet.

SCHOL.

Ex hoc fundamento potissimum suam deductionem reperiunt affectus Cschwitzii Pathologia.

fectus idiopathicī, quando pars aliqua non propter aliam, sive per consensum, sed ex propria sui lēsione, aut causē morbificā in ipsā hārente ac præsente, molestias patitur. Quamvis etiam alio respectu pars aliqua, ejus pathematis, quod patitur, sive idiopathicum, sive symptomaticum illud fuerit, subiectum specialissimum vocari possit.

Ita enim v. g. hoc ultimo respectu ventriculus subiectum specialissimum omnis vomitus dici potest, quoniam ipse potissimum & primario sub hoc pathemate movetur, & ad excernendum excitatur: quemadmodum in sensu priore tunc saltem morbi subiectum audire potest, quando ipsa stimuli vomitorii causa materialis, v. g. a vomitorio, veneno, aliave materia ingrata atque nauseosa, in ventriculo hāret, ibique sensationes molestas physico contactu post se trahit: cum ex opposito per consensum saltem idem motus vomitorius contingere possit, si in alia parte vicina, aut connexxa, primaria lēsio hāreat, quā saltem sub occasione data externa, talem in ventriculo motum causatur, quale quid in inflammationibus partium internarum, ventriculo proximarum, a potu frigido contingere solet.

CAPUT IV. DE MORBORUM DIFFERENTIIS.

Differentiae morborum sunt vel essentiales, vel accidentales.

SCHOL.

Essentiales ab ipso morbo, ejusque causa proxima, aut principali defumuntur. Accidentales autem, licet ad essentiam morborum stricte non pertineant, ita tamen comparatæ existunt, ut ad gravitatem aut levitatem, magis vel minus periculosum morbi statum, aliquid vel multum contribuere possint: & a circumstantiis externis, accessoriis, & individualibus originem ducunt.

II.

*Differentiae morborum essentiales partim respiciunt corpus, ex partibus solidis & fluidis compositum: partim principium mo-
vens,*

vens, vel naturam, & hinc dependentes varias motuum alterationes.

III.

Ex hoc fundamento generaliter morbos dispescimus in morbos partium solidarum: in morbos humorum, sive partium fluidarum: & in morbos motuum.

IV.

Morbi solidarum partium communiter in scholis medicis dispescuntur in morbos conformatio[n]is; respectu 1. magnitudinis: 2. figurae: 3. situs: & 4. numeri: in morbos lesæ unitatis, & in morbos lesæ contiguitatis.

SCHOOL.

Ad morbos conformatio[n]is pertinent illæ partium solidarum aberrationes a statu naturali, quando v. g. vel a nativitate, vel per violentiā externā, aliqua nostri corporis pars, quoad mensuram aut molem, vel nimis magna, vel nimis parva existit; aut aliam, quam deceat, figuram externam habet: aut indecentem & extraordinarium situm occupat: aut denique numero vel deficit, vel excedit.

Morbi lesæ unitatis respiciunt tam partes solidas molles, quam duras: quatenus illæ vulnerationibus, ulcerationibus, ambustionibus, aut rupturis: haec vero fracturis, fissuris, & cariei subjiciuntur.

Morbi lesæ contiguitatis concernunt partes numero plures, inter se cohærentes, earumque cohæsionem mutuam: quo intuitu luxationes & distorsiones articulationum in considerationem veniunt.

Cum vero plurimæ dictarum lesionum, non tam ad pathologiam medicam, quam potius ad chirurgicam pertineant, earum in præsentiarum quoque mentionem saltim fecisse sufficiat.

V.

Lesiones partium fluidarum partim consistunt in lesione quantitatis, & quidem vel excessive, vel deficientis: partim qualia.

qualitatis aut craseos: unde morbi intemperiei humorum apud veteres, aut, secundum recentiorem loquendi formulam, discrimina humorum, titulum nomenque acceperunt.

VI.

Motuum lesiones & morbi vel eorum excessum, vel eorundem defectum, vel denique ordinem alteratum & immutatum respiciunt.

VII.

E morborum accidentalibus differentiis generalissima est illa, qua dispescuntur in chronicos & accutos.

SCHOL.

Desumpta est hæc differentia a tempore durationis totius morbi: & intelligimus per chronicos, ejusmodi morbos, qui vel pedetentim incipiunt, vel, licet acuto quodam initio ægrorum invadant, tamen ordinarie, neque cito transeunt, sed per septimanas, imo menses, ne dicam annos, durant, antequam vel currentur, vel ægrum jugulent: neque ita valde acutis, periculosisque symptomatibus stipati existunt; ad quorum classem pertinent omnes febres intermittentes, rheumatismi, malum hypochondriacum, arthritis &c.

VIII.

Acuti morbi audiunt, qui non solum acute incipiunt, sed acute quoque, i. e. cito & vehementer decursum suum absolvunt, certisque dierum terminis adstringuntur.

SCHOL.

Huc referuntur omnes febres acutæ atque continuæ, apoplexia vera & perfecta, inflammations internæ, aliisque affectus.

IX.

Gradu tamen aliqui acutorum morborum ab invicem differunt.

SCHOL.

SCHOL.

Hinc a quibusdam specialiter in acutos, peracutos, & acutissimos dispescuntur: ita ut primam classem constituant, qui ad modum febrium continuorum simpliciorum, & exanthematicarum communiorum, termino duorum aut trium septeniorum includuntur: ad alteram vero pertineant, qui, ut inflammations internarum nobiliorum partium, unico saltet septenario absolvuntur: & tandem sub tertia comprehendantur, qui ne hunc quidem terminum attingunt, sed intra triduum aut quadriduum, vel breviore adhuc termino, decurrunt: cuius indolis sunt pestis, febres pestilentiales, nec non apoplexia repentina atque lethalis.

X.

Differunt porro morbi, quatenus sunt vel salutares, curabiles & parvi: vel lethales, incurables, & magni.

SCHOL.

Priorem classem constituant, qui vel nullum aut parvum periculum portendunt, vel revera ab aliis gravioribus morbis præservant, vel partes quoad situm, structuram & officium nobiliores non afficiunt atque laedunt: ideoque vel sui remotionem non exigunt, vel sponte cedunt, vel arte facilius præ aliis profligantur: quo nomine horum classem subeunt, leviores cutis laesiones atque affectus, hæmorrhagiæ moderatae narium, hæmorrhoidalis fluxus, coryza atque gravedo, febres intermittentes, continuæ, & inflammatoriaæ, sudores autocratici, diarrhœæ spontaneæ.

Ad alteram classem referuntur ejusmodi laesiones, quæ partes nobiliores, meninges cerebri, pulmones, ventriculum, diaphragma, hepar, in sua structura aut officio laedunt, vel causam inexpugnabilem agnoscent, vel propter brevissimum decursum, medico tempus mendendi non concedunt; quales sunt apoplexiæ fortissimæ, catarrhus suffocativus, inflammatio meningum cerebri, ventriculi, pestis, & morbi pestilentiales, paralyssis consummata, epilepsia, aliæque.

IX.

Usum suum habet hæc morborum distinctio in praxi, & quidem respectu prognoseos.

SCHOL.

Si enim medicus mox in principio, tam ex ratione, quam ex observatione circa morbos saepius facta & collecta, certus sit de hac morborum indole & conditione; statim quoque vel sibi ipsi, vel ægro aut adstantibus, de quolibet morbo prognosin declarare poterit, atque de ejus eventu, & ita propriæ famæ consulere, quando in antecellum vel levem, vel gravem atque funestum morbi exitum prædicere potest; cum sane fundata in ratione experientia prognosis, medico æque facile æstimationem contrahere potest, ac ipsum felix medicinæ practicæ exercitium.

XII.

Tertia differentiarum accidentalium, ab invasione plurium pauciorumve individuorum desumpta, morbos dividit in EPIDEMICOS & SPORADICOS.

SCHOL.

Epidemicos nominamus morbos illos, qui ex communi aliqua causa, præcipue aëris peregrina constitutione, aut diætæ communi errore, non unum aut alterum aliquod individuum, sed vel multa in eodem loco, vel plures regiones locorum invadunt, ita, ut ubique locorum certi cuiusdam tractus idem morbus graviter, aliis præcipue usitatoribus morbis tunc temporis silentibus: ita, ut v.g. sub certa aliqua aëris constitutione nullus præter febrem quartanam, tertianamve, dysenteriam, febrem catarrhalem, petechiam, observetur morbus, sed vel omnes, vel plurimi ægrotantium uno eodemque morbo corripiantur.

Sporadici autem ex opposito illi dicuntur morbi, qui neque ex communi tali causa, eodem tempore oriuntur, neque ita multos corripiunt homines, sed hinc inde unum aut alterum invadunt, qui forsan per unam eandemque, vel etiam diversam causam præsenti ansam dederrunt morbo: quemadmodum frequenter contingit, ut febre tertiana, aut catarrhali, diversæ personæ, licet quoad numerum non adeo paucæ, laborent, quæ vel eundem errorem diæticum commiserunt, vel regimine corporis exæstuatorio & refrigeratorio peccarunt, & ob paritatem causarum, ætatis, temperamenti, eundem morbum patiantur; cum sub Epidemicis morbis neque æqualitas ætatis,

tis, temperamentorum, aliorumque commissorum errorum, semper accusari queat.

XIII.

Epidemicis & sporadicis proxime opponuntur, aut contrastinguuntur MORBI ENDEMII.

SCHOL.

Hi itidem communem aliquam agnoscunt causam, sed non plures populorum ditiones eo, quo epidemicci solent, invadunt modo; singularibus saltē, vel urbibus, vel tractibus, vel regionibus & nationibus familiares manentes. Sic enim maris Baltici accolis ex communi aëris, aquæ, & viëtus ratione, scorbutus familiaris existit, æque ac polonis plica, aliis regionibus strumæ, phthisis, aliæque ægritudines, quæ, quamvis alibi locorum etiam occurrant, tamen non ita frequentes & ordinariæ existunt quam dictis in locis.

XIV.

Ab indole morborum propria desumitur differentia MORBORUM BENIGNORUM, & MALIGNORUM.

SCHOL.

Benigni dicuntur, qui in comparatione cum aliis, & eventum non æquæ periculose, & symptomata non admodum gravia aut lethalia agnoscunt, sed placide atque tranquille decurrunt; maligni autem contrario se habent modo: dum partim pluribus & gravioribus symptomatis stipantur, partim hanc ipsam ob rationem eventum pluries fūnestum experiuntur. Notandum tamen, eundem sœpe morbum in uno subiecto, & uno tempore benignum, in alio individuo, alio tempore autem malignum esse posse. Id quod videmus aliquando in febribus petechialibus, quæ non semper eandem conjunctam habent malignitatem, dum uno anni tempore, aut in uno individuo, satis placide ad modum simplicium continuarum & acutarum decurrunt, ideoque haud magnum periculum portendunt: alio vero anno, vel eodem etiam anni tempore in alio subiecto, valde plethorico, multisve impuritatibus referto, magnam malignitatem præ se ferunt, ut ægroti maxima virium prostratione, deliriis summis, pulsus inæqualitate & debilitate, lipothy-

misi,

mīis, convulsionibus, diarrhœis, vomitibus, aliisque periculosissimis symptomatibus luctam inire necesse habeant.

Unde malignitas aut benignitas illa maxime dependet, vel ab individuali dispositione, puritate aut impuritate humorum ipsius ægrotantis, vel si in plurimis ægris eadem observetur, a communi aliqua aëris mala dispositione aut specialissima miasmatis morbo conditione, prout illud vel quantitate vel qualitate diversimode peccat atque excedit.

XV.

Ab eodem fundamento dependet denominatio MORBORUM CONTAGIOSORUM.

SCHOL.

Hunc titulum gerunt illi affectus morboſi, qui per contagium ab uno individuo ad aliud, vel ab uno in alium locum transferuntur, & communicantur, quamvis singula individua, eodem morbo laborantia, non easdem causas antecedentes agnoscant, sed potius per effluviorum morbosorum & exhalationum communicationem, aut per corporalem etiam contactum externum cum similibus ægris, causam morbi accipiunt, recipiuntque. Quemadmodum tale quid observatur in peste, febribus pestilentialibus, exanthematicis, dysenteria, scabie, luce venerea, nec non aliquando phthisi.

XVI.

Ex eodem propriae indolis fonte profluunt quoque MORBI EXANTHEMATICI.

SCHOL.

Qui nempe vel semper absolutum & sine exceptione, vel ad minimum aliquando & satis frequenter certas efflorescentias in cute secum ferunt, ita ut sine praesentia harum efflorescentiarum, vel ita dictorum exanthematum, aut absolute lethaliter cedant, aut ad minimum longe majoribus difficultatibus, gravioreque periculo stipati existant. Quorum pertinet variolæ, morbilli, petechiæ, purpura rubra & alba, febris papularis, scarlatina, pestis cum febribus pestilentialibus, & ipsa scabies.

XVII.

XVII.

Alio intuitu, nempe respectu ad certa tempora, morbi quoque dividuntur in vernales, aestivos, autumnales, atque hybernos.

SCHOL.

Cum enim medici tam veteres, quam moderni observaverint, non omnibus anni temporibus eosdem semper occurrere morbos, sed alios aliosve certis anni temporibus ac tempestatibus magis adstringi, iisque vel quasi epidemice inter homines obversari; hinc differentia haec ortum cepit, quemadmodum jamdudum Hippocrates idem inculcavit, morbosque varios secundum has classes aphorismorum Sectione III. Aph. 21. 22. 23. denominavit. Nec deest huic observationi veritas, cum utique tempus vernale & autumnale, & que ac reliqua, variis sanguinis & humorum commotionibus, transpirationis vicissitudinibus, nec non ciborum varietate ac potuum, variis diversisque morbis occasionem praebere possint.

XVIII.

Alia adhuc occurrit differentia, MORBORUM HÆREDITARIORUM & ASCITITIORUM, quæ ad prognosin formandam de faciliore aut difficiliore curatione, multum confert.

SCHOL.

Dicuntur igitur morbi hæreditarii, qui per hæreditatem quasi a parentibus in liberos transferuntur, & propagantur, ita ut liberi iisdem morbis laborent, quibus subjecti fuerunt parentes, aliive agnati; de quibus notandum, quod vel generaliter in dispositione valetudinaria & faciliore habitudine ad ægrotandum, vel in specialibus morbis constant: & quod infantes ordinarie citius quoad ætatem iisdem corripiantur morbis, quam ipsi parentes illis decubuerunt, nec raro citius illis succumbere soleant, si nempe fontici fuerint affectus: ita v. g. Calculus renalis, & vesicæ, phthisis, podagra, arthritis, frequentissime hæreditarie transferuntur.

Adscititii autem morbi circa talem hæreditariam dispositionem, in similitudine temperamentorum, motuumque consuetudine impressa, fundamentum habentem ab aliis causis externis vel intrinsecis profici-

Coschwitzii Pathologia.

D

scun-

scuntur, & sunt tam chronici, quam acuti, qui a plethora, sanguinis spissitudine, aliave humorum discrasia, aëris, aut tempestatum conditione, originem ducunt; quorū pertinent variae febres, hydrops, aliquæ morbi particulares.

XIX.

Ratione etatis aut temperamenti, morbi porro dispescuntur in MORBOS CONGRUOS aut INCONGRUOS.

SCHOL.

Plures enim morbi ætati uni vel alteri, aut certo temperamento, magis familiares observantur, nec non eidem obtingentes facilius transeunt, & sine notabili periculo superantur: ex opposito autem aliis ætatis ac temperamentis non modo minus familiares, sed si illis eveniant, magis funesti, molesti, periculosi & deleterii, quam illis observantur.

XX.

Ex eadem observatione quotidiana constat, quod variole atque morbilli infantiles vocentur morbi.

SCHOL.

Eam nempe ob rationem, quod longæ frequentius in hac ætate occurrant, & facilius superentur, ætatis autem provectionibus longe periculofiores existant, quoniam fibræ longe molliores, porique laxiores existunt in pueris, quam in senioribus, qui poros angustiores, fibrasque strictiores habent, unde materia illa peccans facilius in illis, ægrius vero in his foras eliminari potest.

Quamobrem difficiliori prognosi viam sternit præsentia horum morborum in ætate provectione, præsertim cum in hac animi pathemata ordinarie simul plus vigeant, quam in illa, majusque periculum accelerare possint.

Sic etiam ratione temperamentorum febres biliosæ & ardentes magis eveniunt cholericis, quam aliis: Hæmorrhoides, podagra, calculus renalis, maxime provectioni ætati competit, minus autem infantili, puerili, aut adolescentili.

XXI.

Neque hac morborum divisio utilitate sua caret in praxi, respectu prognoseos.

SCHOL.

SCHOL.

Quo magis enim dicti, aut alii morbi, secundum has circumstan-
tias congrui, i.e. ætati aut temperamento convenientes existunt, eo ma-
jorem utplurimum spem suppeditant aut concedunt de feciliore successu
atque eventu: quo magis vero ad incongruorum classem inclinant, eo
graviores, & periculosiores esse solent.

Id quod etiam certo respectu de morbis certorum anni temporum
dici debet; quippe qui haud raro dictam convenientiam aut inconve-
nientiam quoque agnoscunt, ita, ut iis temporibus, quibus ordinarie
competunt, facilius atque felicius cedant, aliis autem gravius ægros af-
ficiant, atque detineant: id quod tanto magis observatur, si forsitan in-
congrua talis morborum conditio ex duplice capite concurrat.

XXII.

*Ratione ordinis, quem servant morbi, dispescuntur in
PERIODICOS & VAGOS.*

SCHOL.

Illi dicuntur, qui sæpius aut rarius recurrent, sed certa recursus
tempora servant & observant, ita ut ægri de illorum recursu certiores esse,
sibique aliquatenus cura præservatoria prospicere possint. Hi autem,
quantumvis etiam recurrent, & mox raro, mox frequentius ægros in-
vadant, nulli tamen certo tempori sese adstringunt, sed vague & sine
respectu certi talis ordinis, subjecta corripiunt.

XXIII.

*Fundamentum hujus differentiæ utplurimum baret ali-
quando in consuetudine motuum, sub certis circumstantiis seme-
susceptorum.*

SCHOL.

Ita comparatum est cum epilepsia, quam multa quidem subjecta
vagis insultibus, sine omni ordine patientur, alia vero menstruis, æqui-
noctialibus, aut solstitialibus temporibus in genere, aut circa certas lunæ
phases experiuntur, prout nempe vel menstruus fluxus deficiens cau-
sam aliquam antecedentem in foemellis suppeditat, vel in aliis subjectis
prima occasio huic molestissimo affectui per terrorem, iracundiam, me-

tum, eodem plane tempore suppeditata fuit; quæ tempora deinde natura, citra notabilem novarum causarum concursum atque accessum, in resuscitatione talium motuum servat.

XXIV.

Aliquando vero fundamentum hujus differentiae dependet a causa aliqua materiali, quæ certis temporibus novam recursui ansam præbere potest, quamdiu in corpore hæret.

SCHOL.

Videmus hoc in hæmoptysi periodica, quæ sine data nova occasio ne externa, sponte & tacite quasi, certis quibusdam intervallis, sive menstruis, sive annuis, aut semestribus, præcise recurrit: quale quid aliquando contingit in viris, venæsectionibus semestribus adsuetis, plethoricis, & V.S. negligentibus, quibus haud raro recurrit, quotiescumque unam aut alteram septimanam temporis, V. sectioni alias dicati, transgrediuntur. Præcipue autem accuratissima species hæmoptyleos periodica occurrit in fœminis, ex defectu aut pertinaciore obstruktione mensium hoc affectu laborantibus; ubi singulis mensibus iisdem præcise diebus non modo recurrit, sed totidem præcise quoque dies durare solet, quibus menstruus fluxus alias absolvi suevit.

E contrario vaga hæmoptysis est, quando a lœsione pulmonum, aut vasorum pulmonalium, a casu violenta nude dependet, sive id fiat a motibus violentis, sive a corrosivis exhalationibus in pulmones attractis, quæ vasorum erosio nunquam firmiter consolidatur, sed data nova occasione, vel per motus, vel per potus exagitatorios, vel earundem exhalationum repetitam admissionem, quovis tempore januam apertam, viamque patulam novæ sanguinis perruptioni, præbet.

XXV.

Nec negligenda est in praxi hujus differentiae legitima consideratio.

SCHOL.

Hac enim probe considerata ac pensitata, sëpissime in morbis periodicis, promptam occasionem invenire potest Medicus, per remotionem, causarum

quam tempora deinde se
cursum atque accidit, i-

s differentia depende-
ribus novam recur-
baret,

sine data nova occasio-
am intervallis, sive me-
rit: quale quid aliquis
us adhucet, plethora-
rit, quotiescumque una-
tas dicati, transgredu-
tyleos periodice occur-
runt mensum hoc i-
dem præcise diebus no-
ies durare solet, quin

a lassione pulmonum, si
deponer, sive id fai-
us in pulmone attrahis-
tur, sed data nova' oc-
curredit, vel earundem ex-
tempore januam aperta
præbet.

differentia legitima co-
sæpissime in morbis pen-
edibus, per refectionem cu-

marum antecedentium, aut per tempestivam motuum anomalorum præoc-
cupationem, ipsum affectum præscindendi, & aliquando successive tollendi.

XXVI.

*A symptomatum magis aut minus essentialum & consue-
torum concurso aut absentia, nec non ordine invasionis atque
decursus, distinguuntur morbi in LEGITIMOS, & SPURIOS, sive
NOTHOS.*

SCHOL.

Legitimi hoc intuitu vocantur, qui tam ratione ordinis, invasionis
decursus, quam ratione omnium symptomatum essentialium ab ordine
consueto nihil discedunt, sed illum constanter servant.

Ita v. g. Pleuritis vera & legitima dicitur, quæ inflammationem pleu-
rae, cum febre inflamatoria vere acuta, atque doloribus punctoris alteru-
trius lateris, fixam sedem occupantibus, respiratione difficillima & suffo-
catoria, declarat, primoque septenario vel transit, vel ægrum jugulat, vel
in Empyema degenerat.

XVII.

*Spurii, vel nothi vocantur, qui ex aliqua parte, ratione
ordinis atque symptomatum, ordinarium quidem typum servare
videntur; respectu tamen aliorum symptomatum, aut ordinis
constantis ab illis discedunt.*

SCHOL.

Ita pleuritis spuria vocatur, quando sub febris catarrhalis concur-
su leviore, dolores magis lancinatorii, quam punctorii, totum latus qua-
si occupant, respirationem difficilem reddunt, & sub quacunque respi-
ratione dolorem incutiunt, febris autem neque ita acuta & gravis eva-
dit, neque præcise ad septimum diem durat, sed citius transit, & intra
triduum aut quatriduum saepè terminatur. Sic quoque febres aliquando
occurrunt, quæ v. g. in genere tertianæ typum servant, ut alternis diebus
paroxysmo suo recurrent, interim tamen neque præcise ordinarium tem-

pus invadendi, neque reliqua ordinaria symptomata cum illis communia habent.

XXVIII.

Morbis legitimis porro contra distinguntur CORRUPTI: titulum suum inde reportantes, quod ex aliis legitimis, tractu temporis in tales degeneraverint, aliamque indolem, & quidem pejorem, assumferint; non quidem ex se & sua natura, sed potius ex accidenti, perversa nempe, medicatione, aut alieno regimine, erroribusque dieteticis commissis.

SCHOL.

Ita enim febres quæcunque, si vel intempestivis evacuationibus tractentur, vel excretio omnibus febribus maxime solennis, diapnoica puta, intempestive supprimatur, & cohibeatur, unde non modo facile totum schema mutant, sed in aliam febrem, maxime anomalam transiunt, ex acutis chronicæ, & ex his lenta aut hecticæ evadunt, nullum deinde typum servant, atque insolitis sæpiissime symptomatibus stipant.

Idem facilissimo negotio contingit in affectibus arthriticis, rheumaticis, si vel topicis refrigerantibus externis, vel opiatis atque anodynis internis, citra causæ remotionem, intempestive tractentur: siquidem haud raræ inde existunt varia metastases & translationes humorum ac motuum ad alias regiones corporis, gravissimaque symptomata post se trahentes: ant membrorum stupores, paralyses, & debilitations succedentes.

XXIX.

Ratione sedis, quam vel causa morbifica, vel ipsa lesio occupat, morbi dicitur in IDIOPATHICOS, & SYMPTOMATICOS.

SCHOL.

Idiopathicus itaque morbus dicitur, quando vel causa morbum proxime producens, in ipsa parte specialiter affecta hæret; vel quando symptomata aliquod maxime urgens, ipsam partis affectæ lesionem pro causa proxima agnoscit,

Quod

Quod ut exemplo clarius fiat, vomitus potest esse idiopathicus, quando natura motum Ventriculi peristalticum non modo invertit, sed etiam exacerbat, ad extrusionem materiae noxiæ aut molestæ, in ipso ventriculo harentis, sive illa fuerit bilis, sive venenum assumptum, sive materia quæcunque alia, sub nausea ingesta, aut dispepta, mucida, viscosa, tenax, ventriculum prægravans, concoctionem impediens, aut officium ventriculi alio modo lædens: aut quando ipsa actualis læsio substantiæ ventriculi, a causa præsente inducta, dolorosa sensatione fibras ventriculi nerveas afficit, quo facto, tam physico, quam morali nexu natura ad idem agendum irritatur; id quod fieri solet in ventriculi erosione a venenis & causticis, ejusdem læsione vulneratoria, inflammatione a causa biliosa: in quibus casibus omnibus ac singulis, causa & ratio vomitus materialis proxima in ipso ventriculo reperitur. Quamvis enim in ultimis casibus non negari possit, vomitum præsentem non ipsum morbum aut læsionem, sed potius symptoma urgens constituere, imo fano sensu, ipsum remedium naturæ pro remotione cause præsentis ac lædentis intentum esse, nihilominus tamen eo respectu, quatenus causa ipsius proxima in ventriculo haret, pro vomitu idiopathicō est declarandus, licet alio respectu symptoma dici queat, læsionem primariam sequens.

XXX.

Symptomaticus affectus dicitur, quando una aut altera pars, sine lesione propria, propter aliam partem principaliter affectam, & sine præsentia cause principalis in ea parte, que simul afficitur, compatitur, atque in consensum passionis trahitur.

SCHOL.

Hoc modo idem vomitus symptomaticus dicendus est, quando causa materialis vomitum produceris, in ventriculo non haret, sed ventriculus propter aliam partem in consensum passionis & motuum trahitur, vel ex vicinia connexionis cum parte principaliter affecta, vel ex conspiratione nervorum licet longinquo, duas partes intercedente.

Tale

Quod

Tale quid contingit in Calculo renali, ejusque paroxysmo exacerbato, aut aliis Nephriticis pathematibus, ubi ex utroque fundamento vomitus ortum capere potest: Si enim viciniam partium spectemus, notissimum est inter anatomicos, renes sitos esse in regione lumbarum, circa fines processuum Diaphragmatis, nexumque habere per vasa emulgentia cum trunco arteriae aortae, & venae cavae descendente, quorum uterque transit diaphragma, æque ac oesophagus, atque immediate cum diaphragmate connectitur: Spastica itaque tractiones, & motitationes in renibus a calculo orientes, non solum renes, sed cum ipsis vasa quoque connexa afficiunt, & per illa ad diaphragma sese extendunt, illudque movendo, ipsum oesophagum atque ventriculum torquent, unde facili negotio motus peristaltici inversio & exacerbatio contingere potest, ad excusionem eorum, quæ in ventriculo sunt, ansam suppeditans.

Si autem ad nervorum conspirationem animum dirigamus, plexus illi nervorum, ad ventriculum, oesophagum, mesenterium, renes, decurrentes, non modo universaliter eandem radicem ex cerebro & medulla oblongata agnoscunt, sed proprius adhuc circa dictas partes inter se cohærent atque conspirant, quemadmodum plexus nervosi abdominis in varias ramifications sese dividunt, quarum aliae ad ventriculum lienem, hepar, aliae ad mesenterium, capsulas atrabilarias, ipsosque renes abeunt; unde conceptu facilissimum est, spastice tracto uno nervorum plexu, alterum quoque in consensum trahi, ideoque motus illos tractorios a renibus ad ventriculum facile diffundi, eique communicari.

Eadem differentia quoque sæpiissime occurrit in cephalalgia, quæ a sanguinea congestione ad caput idiopathica, a ventriculi prægravatione autem, aut affectione per consensum nervorum, a pari vago oriundorum, sympathica esse potest ac solet. Nec est, quod vilipendat Medicus hanc morborum differentiam, quoniam sine ipsis notitia, nequam veræ causæ remotioni incumbet, nec sine illius remotione ipsum affectum, aut symptoma tale urgens removere, imo ne quidem cum successu sufflaminare poterit.

XXXI.

*Non minus distinguendi sunt MORBI STYPLICES A
COM-*

COMPLICATIS: ita tamen, ut symptomata cum ipsis morbis non confundantur.

SCHOL.

Potest hæc confusio obtингere in febre quacunque, vel alio quodam morbo primario & cardinali, ubi varia occurunt symptomata, ut pote capitis dolor, vomitus, vigiliae, flatulentia, appetitus prostratio; si quis hinc concludere vellet, quod singulis totidem morbis, cephalalgia, agrypnia, anorexia, & febre, ideoque morbo complicato decumbat æger, cum tamen hoc dici non possit, sed hæc omnia symptomata sint, quæ ordinarie pluribus morbis junguntur, & in specie febribus familiaria existunt, cum iisdem vero cessantibus simul quoque cedunt.

XXXII.

Nominamus hinc potius MORBOS COMPLICATOS, qui vel sibi invicem, in uno subjecto, uno eodemque tempore superveniunt, vel qui ita simul sibi junguntur, ut ab invicem etiam separati esse possint, nec unus alterum absoluta necessitate post se trahat.

SCHOL.

Horum morborum unus aliquando alteri ita contrariatur, ut Medicus cogatur unius curationi tunc temporis supersedere, aut certa remedia, eorumque applicatio, uni morbo appropriata, ab alterius praesentia contra indicentur atque prohibeantur. Sic v. g. Febris tertiana, & phthisis, in uno subjecto concurrens, constituunt morbum complicatum, quorum alter alteri in tantum contrariatur, ut febris in se spectata vel vomitorium vel purgationem validiorem concedat non modo, sed requirat, phthisis autem utrumque remediorum genus non modo prohibeat, sed facilissimo quoque negotio anam suppeditet, quo febris lentæ aut hecicæ indolem assumat.

XXXIII.

Simplicium morborum vero titulum gerunt, vi ipsius vocis, illi, qui soli quoad numerum simpliciter adsunt: ita ut v. g.

Coschowitzii Pathologia.

E

æger

eger aliquis febre intermitte, acuta, podagra, aliove morbo, laboret, sine praesentia atque concursu alius cuiusdam affectus.

XXXIV.

Notatu etiam digna est in medicina, differentia MORBORUM RECENTIUM & HABITUALIUM, aut INVETERATORUM.

SCHOL.

Per morbos recentes intelligimus, qui neque nimis diu durarunt, neque causam difficulter expugnabilem agnoscunt, ideoque facilem quoque curam admittunt.

Sicuti pro habitualibus illos declaramus, qui per plures menses aut annos durarunt, difficillimamque curam admittunt.

XXXV.

Ad hanc habitualium morborum classem sapissime referri debent, atque in illos degenerant phthisis pulmonalis, renum aut vesicae exulceratio; affectus epileptici, convulsivi, arthritico-spastici, chiragra, podagra, malum ischiatricum, affectus pavorosi, praeципue ab ita aut terrore primo producti: de quibus omnibus notissimum est, quod, si semel firmiores radices egerint, difficilime in totum removeantur, sed opem medicam ordinarie eludant, fundamentum tamen prognoseos, de diversitate efficaciae medicinae, secundum hanc morborum diversitatem Medica suppeditent.

SCHOL.

Ratio mutationis morborum dictorum in statum habitualiem, in eo posita est, quod ut plurimum vel materialis cause inexpugnabilis praesentiam agnoscant, quæ vel propter defectum accessus remediorum ad partem, vel propter partis perpetuum ac indispensabilem motum aut usum, haud

haud removeri potest: vel quod motuum diuturnam ac pertinacem consuetudinem pro fundamento habeant; quod tanto facilius contingit, si a causis maxime immaterialibus, animi nempe pathematibus, primordialiter ortum ceperint, & præcipue talia præ aliis invadant individua, quæ ex temperamenti conditione ad motuum pertinaciam prona existunt, cuius census præ reliquis cholérica & melancholica deprehenduntur.

XXXVI.

Neque minus necessaria est Medico notitia morborum recidivantium, qui multum laboris sepe faceſſunt Medico, præ illis, qui prima vice ægros invadunt. Notandum tamen est, per morbos recidivos non illas intelligi infirmitates, quibus, licet iisdem, eadem ſubjecta ſepiuſ & repetitò per totum vitæ decurſum ſubjiciuntur, uno alterove tamen anno interveniente; ſed eas ſub hoc titulo deprehendi, quæ brevi poſt perpetratam pri- mā curam, tempore dierum, septimanarum aut mensum re- currunt, iterumque eadem ſubjecta afficiunt.

SCHOL.

Ut plurimum hæc conditio familiaris est febribus, quippe quæ ſepiſſime repetitis vicibus ægros eosdem brevi tempore corripiunt, eoque ipſo teſtantur, vel cauſam antecedentem, aut continentem prioris affectus non ſublatam, morbumque non e fundamento curatum fuſſe: vel novam occaſionalem cauſam ſuppeditatam eſſe, qua moṭus pri- ſtini denuo excitati fuerunt: id quod tanto certius eſt, quo ſepiuſ ci- tiusque ejusmodi affectus ſeſe excipiunt, atque ſimul teſtimonium pre- bet de naturæ imbecillitate, ac facili laſione; unde porro prognosis emerget, ejusmodi affectus nequaquam, niſi funditus ſublata cauſa, tolli, & quo ſepiuſ ejusmodi recidivæ reſcurrunt, tanto magis eadem vires proſternere, & tanto diſſiciliorē reddere curam. Sicut autem hic morborum recursus febribus primario ſolennis eſt; ita non minus in aliis quoque, & chronicis & acutis morbis occurrit, ſiquidem idem

idem in ictero, hydrope, apoplexia, hemiplegia aliisque affectibus observatur.

XXXVII.

Ultima adhuc supereft morborum differentia, vi cuius aliquando appellantur retrogradi, aut retrocedentes.

SCHOL.

Denominationem accipiunt hi morbi exinde, quod materia pecans sub motibus secretoriis & excretoriis ad certam aliquam partem, præcipue ignobiliorum, delata atque detrusa, ad aliam, maxime oppositam depellitur, aut ad minimum motus naturæ propter materiam quandam molestam aut noxiā suscepti, ab uno ad alium locum transire, præcipue ab externis ignobilioribus ad internas nobiliores.

XXXVIII.

Probe hoc nosse debet Medicus, ne per repellentia externa, aut revellentia interna, aliquando ipse occasionem ejusmodi retrocessioni præbeat, aut errores circa diætam, & regimen ægrovum concedat, a quibus tale quid metuere licet.

SCHOL.

Haud enim insolitum est, quod aliquando, vel ab erroribus ægrovum commissis, vel a præposta cura, morbi exanthematici ab extremis & peripheria, ad interiora retrocedant, ibique gravissimas noxias producant; aut podagra retrocedat, & motus convulsivos & spasticos intestinis aliisque nobilioribus partibus excitet.

CAPUT V.

DE

MORBORUM CAUSIS.

I.

Morbi non sponte aut tacite proveniunt, sed semper agnoscunt causas antecedentes.

SCHOL.

SCHOL.

Cum itaque in antecedentibus ea præmissimus, quæ de morbis, eorumque differentiis agunt, necessitas & tractationis ordo requirit, ut nunc etiam generalem caularum morbificarum conspectum sistamus, & quid, atque quotuplices existant, explicemus, quo Medici considerationem subeant ac mereantur.

II.

Causæ morbificæ respiciunt tam morbum, quam ipsius Symptoma.

SCHOL.

Cum enim morbus & symptoma inseparabiliter inter se cohærent, & alterum ab altero nexus physico & necessario, ordinarie dependent, semper quoque, quando de causis morbificis loquimur, sermo nobis est, non solum de illis causis, quæ læsionem ipsam, vel morbum cardinalē produxerunt, sed etiam de illis, quæ symptomatum causæ existunt; quamquam enim non negandum sit, non omnia symptomata, in morbis occurrentia, semper essentialiter ab ipso morbo cardinali dependere, tamen symptomata similes ad minimum agnoscunt causas, a quibus diversis modis diversi morbi oriuntur; nec ullus unquam morbus sine symptomate reperitur, quemadmodum etiam symptomatis præsentia vi vocis, morbi cardinalis præsentiam supponit.

III.

Intelligimus autem per causas morbificas in genere tales res, quæ statum corporis vivi naturalem & sanum varie ledunt, & in pejus mutant; vel æconomiam animalem diversimode turbant.

SCHOL.

Id quod fieri potest tam ratione partium fluidarum, quam solidarum: ita ut illæ vel quantitate vel qualitate alteratæ, debito motui circulatorio & depuratorio minus obtemperent: aut hæc in motu & tono alteratæ, motibus per illas suscipiendis non respondeant, aut obstructæ fluidis transitum non concedant.

IV.

Causæ morborum sunt tam quoad sui essentiam, quam quoad ordinem agendi & nocendi satis multæ atque diverse.

SCHOL.

Aliæ enim materiali, physico, immediato contactu, magis directe, & proxima potentia, aliæ vero per indirectum, & remotoire magis ordinatae, lœsiones noxiosque effectus edunt atque producunt; quod ut ad necessariam cognitionem deducamus, necessitas requirit.

V.

Causæ morborum, si quoad sui essentiam considerentur, sunt vel materiales, vel immateriales.

VI.

Ad immaterialium causarum ordinem referimus Animi pattemata, iram, terrorem, metum, tristitiam, & hinc formam imaginationem.

SCHOL.

Hæ enim causæ sunt revera immateriales, nec physico materiali nexus aut contactu lœsionem aliquam in partibus fluidis aut solidis producunt, sed morali quasi nexus causam morbificam constituent, & potissimum etiam immateriale effectum in partibus nostri corporis, i. e. motus exacerbatos, aut deficientes producunt.

Quod ut exemplo clarius reddamus, notissimum est, quod ab ira motus inordinati procedant, & quidem ordinarie in toto corpore tales, qui ad aversionem alicujus mali pro idea formata inservire debent: sicut enim in moralibus iracunda excandescens in se spectata, tales motus corporis post se trahit, qui non fugam indicant, sed qui potius resistentiam, & inimici aut adversarii aversionem indigitant, istibus ac nisibus exequandam; ita in vitalibus quoque tales motuum alterationes observantur, in pulsu & sanguinis circulo, ut inde motus sanguinis a centro ad peripheriam manifestetur & agnoscat, unde pulsus fit celerior ac vehementior, vasa sanguifera turgent, facies cum reliquo corporis habitu rubet ac calet, & si ad excessum hæc omnia deveniant, demum febres biliosæ vehementiores inde evadunt: id quod nunquam a terrore aut metu evenit, ubi potius omnia tam moraliter quam vitaliter modo contrario contingunt, & motus moraliter in fuga, & vitaliter in animi deliquiis ac lipothymiis terminantur, quæ fundamentum in motibus, a peripheria ad centrum tendentibus, positum habent.

VII.

VII.

Immaterialibus causis ex opposito locamus materiales, quae materiali suo accessu, & physico mechanico nexu, partes tam solidas, quam fluidas, e statu suo naturali deturbare, easque variae alterare possunt.

VIII.

De reliquo ratione fontium, unde proveniunt, causæ morborum dispescuntur in naturales, non-naturales & præternaturales.

IX.

Naturales morborum causæ dicuntur, atas, temperamentum, sexus, imo ipsi humores, secundum naturam in corpore periundi.

SCHOL.

Hæ enim res semper in quoconque homine hærent sano, ita ut nunquam homo sine illis reperiatur, quam ob rem dicuntur, quod ad hominis naturam pertineant.

X.

Rerum non-naturalium sex numerantur, & sub hoc titulo innotuerunt: Cibi & potus, aër, excreta & retenta, animi pathemata, somnus & vigilia, motus & quies.

SCHOL.

Hæ dicitæ res nomen non-naturalium propere gerunt, quod neque ad naturam hominis pertineant, sed quivis homo vel sine illis ad tempus quoddam persistere possit, vel eas non tanquam connatas, verum saltem adventitias secum gerat: neque præternaturales existant, cùm non semper noceant, sed rite atque legitime usurpatæ, sanitatem ac vitam adjuvent, illegitime autem adhibitæ, noxas saltem producant.

XI.

Res præternaturales dicuntur partim vermes, calculi

&

& status, de quibus constat, quod præter naturam in corpore generentur: partim res absurdæ & contra naturam deglutitæ, tanquam ab extra ad corpus delatae; arena, lapilli, globuli metallici, calx, lutum, venena & miasmata venenosa, ex aere infectæ, cum saliva, aut per poros ad corpus pervenientia.

SCHOL.

Præternaturales dicuntur, quia toto genere præter naturam humam existunt, & ad conservationem œconomiae animalis vel plane nihil conferunt, vel eandem positive invertunt atque destruunt.

XII.

Cause, quas naturales vocamus, non æque proxima potentia lœsiones morbosæ producunt, verum tamen occasionem suppeditant variis modis, ut noxa diversæ originem inde trabant.

SCHOL.

Sic enim notanda est in pueris notabilis materiæ lymphalis abundantia, pro incremento corporis necessaria, quæ tamen sua præsentia variis alterationibus & corruptionibus subjecta est, e quibus variæ lœsiones morbosæ, huic ætati specialiter familiares, propullulare possunt.

Nec minus temperamentum unum præ altero occasionem præbet variis affectibus morbidis, quemadmodum cholericis affectus biliosi, phlegmaticis serosi, & melancholicis chronicis, obstructorii, infarctiorii, aliisque familiares existunt.

Similiter a sexus differentia, ejusque solemnioribus excretionibus variis affectus molesti dependent, unicuique sexui proprii, quorum manifestissimi occurunt in sexu sequiore, respectu mensium, lochiorum, puerperii, quibus viri nunquam obnoxii esse possunt.

XIII.

*E rebus non naturalibus, ut causa morborum omnium, primo in considerationem veniunt cibi & potus, vel, alimenta
atque*

atque ingestā, a quorum qualitate heterogēnea variis modis morbi producuntur.

SCHOL.

Notissimum enim existit ex physiologicis, a cibis potibusque quotidianum proventum humorum nostri corporis dependere, atque ab illorum conditione horum quoque indolem esse deducendam: unde, quemadmodum status sanitatis juvatur & conservatur, si cibi ac potus laudabiles, bene nutrientes, concoctū faciles, nec quantitate, nec qualitate noxia excedentes offerantur, ita e contrario materiae heterogeneæ in nostris humoribus augentur, si cibi malis succis scatentes, valde acidi, saliti, in copia assūmantur, aut succis plane non nutritiis, sed aqueis, mucidis, inertibus referti ingerantur, unde vel impuritates & discrasiae humorum falsæ, acidæ, vel muciditatis ac visciditatis, partim in humoribus, partim in primis viis coacervantur, a quibus deinceps variii morboſi affectus ortum ducere possunt, præsentim si debitæ secretiones & excretiones sufflaminentur.

XIV.

Siquidem a qualitate alimentorum heterogenea & noxia, variii oriuntur affectus morboſi, ita non minus quantitas ciborum sola aliquando noxia deprehenditur.

SCHOL.

Non enim solummodo cibi ac potus nocent, quando particulis heterogeneis referti existunt, sed optimi etiam cibi, potusque nutrientes ac consistentes, causam variorum morborum constituunt, si modo quantitate excedant, corpusque nimium nutritant, unde humorum quantitas in genere augetur, ut proportionem motuum superent, spissiores fiant, & ita stagnationibus, stasibus, infarctibus, ansam præbeant, quibus deinceps səpissime motus transpreflorii, moleſti, dolorosi, ſpaſtici, rheumatici ſcedunt.

Ne dicam, quod quantitas ciborum defectiva quoque in considerationem veniat, quippe quæ nutrimenti corporis defectum, maciem, corporisque tabescentiam, aliaque damna producit.

XV.

Alterum e rebus non-naturalibus, in classe causarum morbificarum, locum obtinet AER.

SCHOL.

Hic sane pluribus nominibus morborum causa dici meretur: quamvis enim legitime constitutus, statim naturalem sanumque conservet, nihilominus tamen, si ex una aut altera qualitate excedat, aut plane peregrinis particulis ac miasmatibus refertus existat, causam morborum constituit multifaria.

XVI.

Aer calidus nimis & siccus nocumento potest esse sanitati.

SCHOL.

Quemadmodum enim de copiosa particularum sulphurearum admixtione testatur; ita hoc intuitu humoribus nostri corporis admixtus, ibi etiam non modo ejusmodi particularum augmentum causatur, sed externo etiam calore sanguinem, & in illo particulas sulphureo pingues exagitat, expandit, ideoque orgasticam humorum commotionem producit, materiam febrium acutarum suppeditat, & ita, praeceps in depositis, febres acutas, ephemeras, biliosas, sanguineas, capitis dolores, congettiones sanguinis ad caput, aliasque affectus morbosos fovet, iisque producendis faves.

Unde communis quoque observatio testatur, morbos modo citatos, tempore aestivo, eoque calidiore, frequentius, quam alio occurrere.

XVII.

Sicut aer nimium calidus & siccus, ita sane non minus FRIGIDUS SICCUSQUE AER pluribus modis morborum causam constituit.

SCHOL.

Partes enim fibrosas nostri corporis, ejusque peripheriam maxime afficit, porosque constringendo, cutim contractam efficit, transpirationem insensibilem, & excretionem sudoriferam impedit, aut plane sufflaminat, in pulmones attractus idem efficiendo raucedines, tusses siccas,

humo-

humorumque fero-so-mucidorum stagnationes non modo, sed eorum præcipue, qui magis sub cutis peripheria hærent, faciliorem coagulationem, aut ad minimum inspissationem, & excrementiarum particularum, per cutim ejiciendarum, retrocessiones post se trahit; hinc est, quod dicti affectus hyberno potissimum tempore grassetur.

XVIII.

Neque minora, respectu sanitatis, corpori nostro immixente incommoda ab AERE FRIGIDO & SIMUL HUMIDO.

SCHOL.

Hic enim ratione humiditatis, particulas humidas & aquas in corpore nostro auget, eorumque accessu & insinuatione, fibras ad majorem, quam par est, relaxationem & atoniam disponit, unde secretiones partium heterogenearum non ita prompte succedunt, sed mucidates, falsedines, aliæque impuritates in corpore coacervantur, variæque morborum causæ materiales suppeditantur: ratione frigoris autem conjuncti, humorum incrassationi & coagulatoriæ spissitudini inservit, eosque ad motum progressivum & transpressorium inceptiores reddit, porosque cutis constringendo, partium heterogenearum exclusionem impedit, & ita ex dupli capite, materiam nempe heterogeneam atque peccantem secum afferendo, viasque, earum excretioni dicatas, occludendo, peccat.

XIX.

Longe autem graviores, maioresque noxas corpus nostrum patitur, iisque exponitur, sub AERE HUMIDO & CALIDO.

SCHOL.

Sicut enim hujus conditionis aër per diuturnum tempus corpus nostrum penetrans, atque offendens, particularum sulphurearum atque agilium fœcundis, materiam ad motum intestinum aptissimam largitur, ita humiditate accedente, verum proximum vehiculum ac instrumentum motus intestini resolutorii ac dissolutorii, i. e. fermentativo-putredinosi, affert; unde sub tali conditione aëris omnium facilime morbi putridi

veteribus dicti, febres malignæ, exanthematicæ, petechiales, pestilentiales, non modo generantur, sed præsentes magis foventur, graviora qua symptomata assument.

Huc præcipue facit, quod simul ab humiditate aëris, partium fibrosarum tonus relaxetur ac debilitetur, quo tamen deficiente, secretiones & excretiones, in his morbis maxime necessariæ, non debite procedunt, eoque ipso deficiente tempestiva illarum exclusione & eliminatione effectus noxious, in dissolutione mixtionis animalis consistens, ac sese manifestans, caput erigit, mortemque plurimorum ægrorum post se trahit.

XX.

Maxime omnium tamen hoc ita procedit, si aër humidus & calidus particulis peregrinis, exhalationibus putridis, venenosis, contagiosis, quas miasmata morbosa vocare solemus, refertus existat.

SCHOL.

Hæc enim miasmata, sicut effectum suum noxiū semper in dissolutione mixtionis animalis putredinosa manifestant atque declarant, ita in tali aëris conditione commodissimum vehiculum reperiunt, quo corpora nostra ingredi valent, &, quo mediante, tanto promptius humeribus nostris insinuari, iisque permisceri possint; quo factò, dictus aëris, si ita perennet, sub decursu talium morborum, eos tanto magis sufficit, fovet, atque quoad symptomata & pericula graviores reddit.

XXI.

Post aërem accedimus ad MOTUM & QUIETEM, inquisitionem instituendo, quomodo causam morborum constituere possint.

SCHOL.

Ubi de motibus paucis in genere monemus, quod, quamvis de omnibus in corpore vivo occurribus negari nequeat, quod vel excēdentes, vel deficientes diverso respectu morbis velificari possint, tamen hic loci maxime sermo sit de motibus voluntariis atque laboriosis.

XXII.

XXII.

Motus voluntarii sanitatem nostram offendunt, causamque morborum constituant, quando gradu excedunt.

SCHOL.

Quod si itaque contingat, ut motus voluntarii plus justo intendantur, omnium primo debilitationem & enervationem roboris tonici fibrosarum partium post se trahunt, unde lassitudines artuum suscepitos vehementiores labores sequuntur. Non solum tamen partes solidæ respectu roboris tonici ita debilantur atque laeduntur, sed humoribus nostri corporis facile quoque labes affricatur; dum nimia talismodi commotione & transpressione per partes spongiosas solidas, vel intestino motu agitantur, expanduntur, & orgastice commoventur, ut majus requirant spatium, unde solidæ partes turgent, & vel quasi tumescunt: vel sub eadem commotione simul resolvuntur in serum tenue excrementium, ideoque quantitate imminuantur, quod si laudabilibus humoribus eveniat, nutrimenti ac virium defectum post se facili negotio trahit.

XXIII.

Ex opposito quies vel vita sedentaria, vapescientie & mucida discrasia humorum viam pandit, preprimis, si sub lautiore plenaque dieta humores nutritii augeantur, & ipsa plethora, tanquam plurimorum morborum fecundissima mater, increbescat, causamque materialem suppeditet.

SCHOL.

Sicut enim sub motibus laboriosis, vegetior humorum transpressio & attenuatio, fluxilitas & mobilitas adjuvatur, ita deficientibus motibus laboriosis, humores quasi ad stagnationem, vel ad minimum plus justo tardiorum progressum deducuntur; unde, quoniam semper ad spissescientiam inclinant, tanto facilius ad illam deveniunt, & tanto promptius interstitiis pororum adhærescunt, obstructiones atque infarctus formant, quo facto negotium secretionis partium heterogenearum impeditur, atque ex hoc fundamento per variarum impuritatum coacervationem sanitas laeditur.

XXIV.

Quemadmodum recensit & hactenus res, vario modo, morborum generationi favent, ita ex illarum numero EXCRETA quoque & RETENTA nostri corporis, diversimode morbis prognoscendis causam largiuntur.

SCHOL.

Comprehendimus sub hac classe, materias in corpore sano excerni solitas, solemnesque excretiones, quarum excessus, aut defectus, legitimas morborum suppeditat causas; quorsum refertur sanguis, tam generaliter per haemorrhagias, quam specialiter per haemorrhoides, menses, aut lochia profluens; Sudor & transpiratio insensibilis halitus, mucus narum, & oris, sperma virile, lac muliebre, urina, & excrementsa avina, quibus accensere licet ipsa exanthemata subcutanea, tam acutis, quam chronicis morbis familiaria.

XXV.

Sanguinis profluvia, vel quantitate, vel impetu, vel tempore durationis excedentia, sanitatem nostram varie laedunt.

SCHOL.

Cum enim sub sanguine tam partes gelatinosae, nutritiae, lymphaticae, quam sulphureae subtrahantur, quarum utrarumque tamen praesentia respective ad corporis nutritionem & conservationem, &que ac partium solidarum mollium robur tonicum necessario requiritur; quid quæsto mirum est, excessiva sanguinis profluvia vires maxime prostrernere, lipothymias, animique deliquia, vertigines, corporis maciem, cachexiam, tumoresque cœdemosos facili negotio post se trahere?

XXVI.

Ex altera parte hemorrhagia suppressæ, aut non legitime succedentes, in procreandis morbos calamitatibus, multum efficiunt.

SCHOL.

Id quod neminem Medicorum latere poterit, qui historiam morborum veram, eorumque nexus perpendens, congestiones sanguinis circa

circa caput, thoracem, & artus superiores, cum lancinatoriis tractionibus spasticis cephalalgicis, arthriticis vagis, a narium hæmorrhagia suppressa, aut moliente, verum non succedente, deducere didicit.

XXVII.

Sicut hæmorrhagia in genere, quando supprimuntur, varia incommoda producunt; ita specialiter hemorrhoidalis excretio suppressa, virilis sexus apissime gravissima parit damna.

SCHOL.

Quid enim familiarius existit in praxi medica, quam quod hæmorrhoides suppressas aut turbatas excipiat calculus renalis, podagra, arthritis, malum ischiadicum, colica atrocissima, & famosissimum hypochondriacum malum?

XXVIII.

Quot, quantaque calamitates sexui sequiori immineant, si vel menses emanserint, supprimantur, & obstruantur, vel in puerperio constitutis fœminis lochia non debitæ fluant, hoc optimè sciunt artem salutarem exercentes.

SCHOL.

Nil enim certius est, quam quod precordiorum angustie, respiratio anhelitiosa, cacheoticus corporis habitus, stagnationes sanguinis circa interiora, cœdemata, malum hystericum, variæ incongruae hæmorrhagiae perruptiones, & in puerperis gravissimæ inflammations, febresque inflammatoriæ gravissimæ & periculoſissimæ inde sequantur.

XXIX.

SUDORIS excretionem si attendamus, nil magis notum existit, quam quod quantitate, & duratione nimia peccans, sanitati officiat.

SCHOL.

Sicut enim nimii sudores de resolutione multi sanguinis, in serum tenue excrementum testantur; ita vires quoque notabiliter consumunt, nutri-

nutrimentum corporis sinnul colliquant, eoque ipso sudorum colliquatorum nomen obtinent, quoniam corpora ad maciem disponunt, exsucca & arida efficiunt: id quod potissimum videri potest in subjectis heclicis, aut aliquid lenti febrilis, post alios morbos percessos, patientibus, quibus ejusmodi sudores nimii maxime familiares observantur.

XXX.

Transpiratio peripherica insensibilis, ut ut legitime procedens, & sub legitimo titulo praesens, nihil incommodi, sed potius plurimum utilitatis ad fert, ita impedita, ac intempestive cohibita, aque ac ipsius sudoris suppresso, sat multis incommodis ac agitudinibus viam sternit.

SCHOL.

Particulae enim sulphureo-salinæ, partim subtile atque halituose, partim paulo crudiores, hoc modo excernendæ, poris occlusis intus detinentur, atque humoribus denuo miscentur, unde novæ in illis impuritates nascuntur, variis discrasias atque incommodis ansam postmodum suppeditantes.

Id quod tanto manifestius occurrit, si ipse actualis sudor per varias externas occasiones retropellatur, aut impediatur; hinc enim sèpissime translationes humorum ad caput, pectus, variaque loca contingunt, ut inde coryzae, gravedines, tusses, asthmata, rheumatismi, cephalalgiae, aliaque incommoda oriuntur.

XXXI.

Ad hanc periphericam excretionem non minus referimus EXANTHEMATA subcutanea, tam chronica, quam acutis febribus stipata: variolas nempe, morbillos, petechias, purpuram, scabiem, achores, crustam lacteam, tineam capitidis, aliaque: a quorum successu legitimo, varia symptomata molesta, & aminus legitimo, gravissima sape damna exoriuntur.

SCHOL.

Utcunque enim illorum excretio legitime procedat, tanto magis autem,

autem, si nimia illa fuerit, molestissima saepe symptomata ardoris, pruritus, doloris, causantur. Si autem vel debito tempore & ordine, debitaque quantitate, non protrudantur, vel jam excreta iterum retrocedant, quis queso nescit, quot, quantaque symptomata periculosa, maximeque sonica, convulsiva, epileptica, asthmatica, suffocatoria post se trahant.

XXXII.

Narium, fauciūmque mucus, & excretionē & retentionē nimia, non minus saepe constituit morborum causam.

SCHOL.

Quod si enim vel propter materiæ minorem ad mobilitatem dispositionem, vel ob organorum excretoriorum illegitimam conditionem, hæc excretio impediatur, & sufflaminetur, facillimo negotio tusses, & coryzae exinde oriuntur: sicut ex opposito, ejusdem vel nimis impetuosa, simultanea, vel nimis diu continuata excretio, relaxationem partium tonicas, & tanto facilius humorum copiosum decubitum atque affluxum ad hasce partes post se trahere potest ac solet.

XXXIII.

SPERMA VIRILE, etiam si optimus sit humor, e massa sanguinis oriundus, pro diversitate excretionis aut retentionis, variis incommodis morbidis causam præbere potest.

SCHOL.

Sperma virile e sanguine, ejus parte lymphatica optima, postquam per arterias spermaticas ad testes delatus fuit, prodire, atque in testibus elaborari, apud Medicos non amplius in dubio habetur, postquam ab Hippocratis usque temporibus observatum fuit, immodecum ipsius excretionem vires debilitare, corpus emaciatum ac debilitatum reddere.

Quemadmodum itaque in præsenti nihil de ipsius discrafia, vel nimis tenui atque aquosa, vel nimis acri, sulphurea salina, vel denique nimis spissa dicimus, & quænam hæc mala post se trahere valent, explicamus, ad specialem pathologiam hæc relinquentes; ita nunc dictum liquorem solum consideramus, quatenus vel excerni, vel retineri de-

Coschowitzii Pathologia.

G

bet

bet, & quomodo ultra modum detentus aut excretus causam morbificam constituere valet.

XXXIV.

Nocet itaque nimia & intempestiva spermatis profusio, & junioribus, & senibus.

SCHOL.

Cum enim materia spermatis potissima, essentialiter eadem sit cum illa, qua corpus nostrum nutritur, licet subtilitatis gradu, puritatisque diversa, haud rationi & experientia contrariatur, quod nimia ejus excretio, aut nimis intempestiva emissio, vires & functiones animales ac vitales notorie infringat, debilitet atque prosterat: unde videre licet, quod juniora subiecta, terminum pubertatis vix superantia, si huic excretioni, vel spontaneo ausu indulgeant, vel per morbosam dispositionem sub pollutionibus nocturnis, subjiciantur, pallescant, torpida & quasi relaxata incedant, vertigine, memoriae debilitate laborent, atque necessario, corporis incremento delituantur, ita ut harum causarum gnaris facile sit, e vultu talium personarum causam quasi dictorum affectuum legere.

Maxime omnium vero senes incommoda talia experiuntur, si ultra posse & necessitatem excretioni huic sub exercitio venereo aliquando indulgeant.

XXXV.

Minus vero nociva existit hac excretio illis, qui magis adultam, vegetamque attigerunt virilem etatem.

SCHOL.

Hæc enim subiecta, si de cætero sana existant, propterea, quod notabili corporis incremento in longum non amplius egeant, aut sanguine lymphaque laudabili abundant, non æque facile ejusmodi effusus a fatis copiosa licet (non tamen simultanea) excretione spermatis patiuntur, nisi forsan defectus laudabilem ciborum, aut excessus motuum laboriosorum, aut denique morbi prægressi simul symbolum suum conferant, aut excretio plane excessiva suscipiantur, quamvis nihilominus ab omni sensatione molesta fatigationis & lassitudinis, sub moderata etiam excretione, nemo immunis maneat.

XXXVI.

XXXVI.

*Defectus hujus excretionis longe rarius per se incommoda
morbosa post se trahit.*

SCHOL.

Substantia enim seminis lymphatica in sanguinem iterum resorberi atque in corporis nutrimentum impendi potest: si autem aliquando vel tumores testiculorum, vel priapismi atque tentigines membra virilis, vel phantasie lassiones inde nasci videantur, haec incommoda quidem ex aliqua parte spermatis retentioni, non tamen huic soli, sed intensis speculationibus lascivis concurrentibus, & denegato illarum effectui, specialique materiae spermaticae commotioni adscribenda erunt.

XXXVII.

Ad excernendorum classem referimus quoque LAC MU-

LIEBRE.

SCHOL.

Quamvis lac mulierum nullatenus constitutat corporis excrementum, nihilominus tamen ad excreta & retenta pertinet, cum non eum in finem in mammis mulierum elaboretur & sequestretur, ut in proprii corporis usum ibi detineatur, sed ut elaboratum speciem excretionis subeat, & in alienum corpus, infantile nempe, ejusque emolumentum, deferatur, quod fit sub lactatione, vel a matribus, vel a nutribus instituta.

XXXVIII.

*Hic liquor, licet in sua substantia optimus, utilissimus,
nutritius, optimisque requisitis gaudens, ac respectu infantum
maxime necessarius, nihilominus causa molestiarum morbosarum evadere potest; si debito modo ac tempore non excernatur, prolique prabeatur.*

SCHOL.

Quando enim in mammis maternis coacervatur, coagulatur, atque grumescit, tubuli lactiferi inde infaciuntur, atque oppleti, reliquo, tam sanguini, quam lacti, liberiorem transitum dubium reddunt: unde propter denegatum lactis effluxum tumor mammarum, vasorum sanguiferorum

rorum turgida inflatio, cum rubore mammarum, dolore, ardore, cæterisque inflammationem arguentibus symptomatibus & signis: aut si tolerabilius res cedat, neque ad inflammationem deveniat, ad minimum subsistentia ejusmodi lactis in mammis nodosas mammarum indurations temporarias, cum puncturis lanciniantibus, doloribus tensivis, pressoriis circa pectus, imo sæpiissime cum angustiis suffocatoriis, post se trahit.

Id quod omnium communissime experiuntur foeminae plethoricae, lac abundanter generantes, si vel in puerperio lactationem detrectent: vel sub lactatione instituta aliquando nimis tarde infantibus ubera præbeant; vel a terrore repentino, horripilatoriam strictruram tam peripheria corporis in genere, quam speciatim mammarum, experiantur: vel denique, si infantes repente moriantur, & mulierculæ de exsuctione lactis nimis sero curam gerant.

XXXIX.

Quomadmodum autem lac respectu corporis materni talia incommoda producit, si nimis detineatur; ita respectu infantum varia quoque damna affert, si vel defectus ipsius occurrat, vel partibus heterogeneis atque impuris inquinatum existat, vel denique nimis pingue, aut quantitate abundans adsit, tenellisque offeratur.

SCHOL.

A defectu enim corporis macies, & nutritionis defectus ab impuritate variæ cutis defœdationes, achores, crusta lactea, serpiginæ, excoriationes, scabies, diarrhoeæ biliosæ, tormina; a nimia pinguedine autem, quantitatibusque abundantia, & nimia obesitas, & alvi obstipaciones, cum dispositione ad infarctus pectoris, & catarrhos suffocativos, oriuntur.

XL.

URINÆ EXCRETIO, haud legitime succedens, generi humano multa parit damna.

SCHOL.

Si enim supprimitur aut restagnat, non modo per moram acrior fit

fit, & concentratur, ut demum emissâ, ardorem doloremque pariet; sed sub ipsa sui suppressione dolores, vesicæ nimiam distensionem, ad rupturam usque metuendam, cum spasmis, inflammatione, erosione, dolorificasque emissiones, sub ischuriæ, dysuriæ & stranguriæ titulo notas producit.

Sicuti e contrario tonum vesicæ, ejusque sphincteris, nimia sua aquositate aliquando relaxando, involuntarii mictus causam materialem constituit: aut nimia secretione & excretione diabeten causatur. Nec ita rarus est ab urinæ suppressione, vel illegitima sequestratione, tumor hydropticus, anasarcoïdes pedum, ac reliqui corporis, qui haud facile, nisi per urinæ & diureseos provocationem, resorbetur ac removetur.

XL I.

A L V I N A E X C R E T I O plura adhuc incommoda ac damna producit, si vel defectu vel excessu quantitatis, vel qualitate peregrina peccet.

S C H O L .

Defectu enim peccat hæc excretio, sub alvi obſtructione, ubi extenſionis & distensionis intestinorum, flatuum incarceratorum, torminum, dolorum, cauſa exiſtit: ſicut excessu moleſta ſub diarrhoea ſimpliciore frequentioribus deſidendi conatibus ſubjecta torquet, multaque excremenṭa, ſive fluidiora & liquida, ſive ſolidiora excerni facit.

Peregrina autem qualitate moleſta exiſtit, quando vel a ſerosa, vel a biliōſa colluvie, acria & cauſtica exiſtunt excremenṭa, atque ſub ſua præſentia dolores & ardores in toto intestinorum tractu, aut aliqua illorum regione, imo aliquando inflammatiōnes, vel erosiones; ſub excretione autem, ani ardores, excoriationes, tenesmoides dolores excitant atque producunt, & ita diverſorum tam morborum, quam ſymptomatum cauſa evadunt.

XL II.

A d r e s p r e t e r n a t u r a l e s p r æ a l i i s r e f e r e n d i ſ u n t v e r m e s :
de quibus, quoꝝ & quantorum morborum, aut ſympotomatum gravifimorum cauſa ſint, inter omnes, qui artem ſalutarem exercent, conſtat.

SCHOL.

Gravissima enim pathemata spastica & convulsiva saepissime producent, quando vel in intestinis harentes, vel tunicam illorum nerveam vellicantes, rodendo afficiunt, naturamque ad expulsionem, motusque violentiores, non modo in intestinis, sed aliis quoque corporis partibus excitandos, impellunt; pallores vero, corporisque maciem post se trahunt, quando succum chylosum nutritium avide in intestinis absorbendo, ejus ulteriorem communicationem cum sanguine impediunt, nutrimentum corporis necessarium absument.

XLIII.

Calculus, sive renalis fuerit, sive in vesica urinaria concretus, non minores, praternaturali sua presentia, causatur cruciatus.

SCHOL.

Quamvis enim in quiete positus, neque commotus, paucas, imo nullas subinde procreare soleat molestias; tamen, quamprimum vel nude movetur, vel sub motu simul asperitatibus aculeatis partibus membranoso-nerveis infixus haret, aut magnitudine extraordinaria viarum transitui dicatarum proportionem superat, atrocissimos post se trahit dolores, tam in uretheribus, locisque vicinis, quam in vesica, urethra, pro diversitate loci specialissime patientis, nec non alias in consensum trahit partes, unde vel vomitus, vel diarhoeæ, vel cardialgiæ, vomendique conatus vacui, & alvi obstipationes pertinaces, tanquam symptomata calculi praesentis ordinarie adparent: ne dicam de mutationibus urinæ, tam quoad ipsius consistentiam, quam excretionem.

XLIV.

De FLATIBUS in intestinis incarceratedis, non opus est, ut verba faciamus multa, cum neminem plane fugiat, quanti sint dolores & cruciatus colici, & quid patiantur hypochondriaci ab illorum exclusione impedita: siquidem haud rarum est, quod a flatibus retentis variis rheumatismi orientur, anxietates praecordiorum, & si excessive peccent, tumores tympanitici producantur.

XLV.

XLV.

*Si res, p. n. et consuetudinem deglutitas,
et ab extra in corpus delatas, perpendamus non omnes illarum
pari ratione, aut gradu nocent: Aliæ enim solum molestiam in
primis viis pariunt, donec iterum ejiciantur.*

SCHOL.

Hujus generis sunt arena, lapilli, globuli metallici, lutum; quæ
omnia notabilem sanitati noxam non inferunt, præter, quod anxietatem,
aut gravitatem ventriculi & intestinorum, aut alvi ad strictionem producant.

XLVI.

*Aliæ illarum deglutitas dolores excitant positive graviores,
aliæ vero continuatæ lesionem corrodendo inducunt.*

SCHOL.

Prius contingit ab acibus deglutiatis, vitro, aliisque rebus pungentibus: alterius ordinis sunt omnia venena, & corrosiva, quæ texturam partium internarum, quorsum pertingunt, laedunt ac destruunt, inflammations, ac sphacelationes lethales post se trahunt.

XLVII.

*Ultimam, nec sane infimam, sed fere pessimam harum rerum
classem constituant MIASMATA VENENOSA & CONTA-
GIOSA, quæ cum aëre afferuntur, & vel per salivam, vel per
poros corporis, ad humores penetrare valent.*

SCHOL.

Hæc enim non tam prompte solidarum partium texturam, quam
primario fluidarum mixtionem invertunt, qua corrupta tandem secun-
dario etiam in partes solidas agunt, iisque corruptelam sphaceloso-pu-
tredinosam imprimendo, nocent, mortemque sine omni dubio post se
trahunt; id quod videre licet omnium apertissime in peste, febribus
pestilentialibus, aliisque malignis & contagiosis.

CAP.

CAPUT VI. DE MORBORUM TEMPORIBUS.

I.

Sf^dplicatio termini, temporis morborum, in scholis medicis varia est, atque diversa.

SCHOL.

Vel enim respicit hic terminus decursum morborum generalem, quem breviori aut longiori intervallo absolvunt: vel eorundem decursum specialiorem, imo aliquando specialissimum, quem secundum certa tempora, stataque dierum aut horarum intervalla, certis morbis propria, servant; vel denotat certa tempora, quibus, tam respectu subjectorum ægrotantium, quam respectu temporis anni, morbi speciales, familiares atque solennes observantur.

Primo intuitu a tempore, morbis familiari atque solenni, desumitur morborum divisio in chronicos, atque acutos; de quibus, cum in antecedentibus jam dictum fuerit, hic nihil repetimus.

Pariter res sese habet respectu ultimæ considerationis, quo respectu morbi dividuntur in morbos ætatum, aut temporum anni; unde in conspectum veniunt morbi infantiles, seniles, vernales, æstivi, autumnales, atque hybni, quibus merito junguntur, vel ad latus ponuntur, morbi æquinoctiales ac solstitiales, qui certa hæc recurrendi aut invadendi tempora, juxta ordinem, ex consuetudine motuum semel inductum, servare solent: de quibus non minus sub capite de morborum differentiis jamjam actum est.

II.

Secunda itaque consideratio temporis morborum strictius nostram presentem tractationem subit.

SCHOL.

Quatenus nimur morbi decursum suum specialiter, secundum specialia certaque tempora absolvunt, aut specialissimis statisque temporibus, respectu periodi, symptomatum, aut eventus, alligantur.

III. Ge-

III.

Generaliori in hoc genere respectu, Medicis nota existunt morborum tempora, secundum quorum diversitatem, morbi principium, incrementum, status vel aequum & declinatio, penduntur.

SCHOL.

Hæc morbi tempora ita interpretamur, ut principium, & primum invasionis tempus, nobis idem sit: per augmentum autem intelligimus gradum morbi, successive auctum, ut non modo æger, sed adstantes etiam, haud difficulter agnoscant, morbum adhuc crescere, & graviorem fieri: donec ita ad summum quasi gradum proiectus, in hoc gradu, quem attigit, constanter sine mutatione, neque in melius, neque in deteriorius, perseveret, & quasi subsistat, quod statum vocamus, cuius ultimus quasi summusque gradus æquum, sive apex, dicitur: si tandem morbus post hunc gradum iterum successive decrescat, viresque ægri & reliquæ ipsius actiones iterum restaurari adpareant, morbus in declinatione constitutus esse dicitur.

IV.

Solennis est hac generalis temporum morbi divisio omnibus morbis in genere.

SCHOL.

Nullus enim penitus existit morbus, qui sui principium, incrementum, statum, & si curationi Medici obsequatur, declinationem non agnoscat: quamvis enim multi morbi acuti satis breve decurrendi tempus habeant, nihilominus tamen per gradus invadunt, cursumque suum absolvunt.

V.

Omnium vero maxime hac temporum divisio ac differentia notorie observatur, seque manifestat, in febribus acutis atque continuis, certa periodorum tempora praे reliquis morbis servantibus.

SCHOL.

Notum enim est, hasce febres certo temporis spatio, sive hora-

Coschwitzii Pathologia.

H

rum,

rum, sive dierum, in genere ordinarie alligari. Brevissima illarum esse potest ac solet sic dicta ephemera, quæ, quamvis unico paroxismo absolvatur, eumque una die ad finem perducat, tamen per horas successiva incrementa capit, & successive iterum decrescit, postquam aliquot horarum spatio summus ipsius gradus duraverit.

VI.

Ipsa pestis, tanquam febrium acutarum continuarum & malignarum sævissima, haud unico impetu ad summum ascendit fastigium, quin itidem per gradus ab invasione ad cœpū adscendere apud plurimos agrotantium, observetur.

SCHOL.

Quamquam enim historiæ non deficiant, testantes, peste correptos unico quasi momento in terram decidisse, mortuosqne fuisse, in quibus antea nihil morbosqni observatum fuerit; nihil minus dubitandum est, quin ejusmodi personæ robustiores fuerint, & quamquam ipsæmet aliquid molesti senserint, tamen ex metu, variisque causis moralibus, vel ex desperatione ac temeritate nihil plane conquestæ fuerint, donec morbus naturam ejusque motus in totum superans, tyrannidem in illis exercuerit, easqne, illis id nondum putantibus, jugulaverit,

VII.

Paulo longiore in genere terminum decursus ordinarie agnoscunt febres inflammatorie, internarum partium inflammatores sequentes, quippe quæ uno septenario ordinarie absolvuntur.

SCHOL.

Unde constans Medicorum observatio testatur, ægros ejusmodi febribus inflammatoriis laborantes & decumbentes, intra septimum ab invasione diem vel sanari, vel mori, eosque, qui moriuntur, vix terminum septenarii primi attingere, sed die quinto aut sexto perire: id quod in pleuritide vera, & phrenitide præcipue contingit, quippe quæ difficulter in abscessum, facillime autem in sphacelosam corruptionem abeunt.

VIII.

VIII.

*De peripneumonia certissimum, compertumque habemus,
quod, si debite & methodice tractetur, aut saltem nullo modo
turbetur, semper, & quasi sine exceptione, intra septimum diem
ad felicem perducatur finem, cum aegrorum restitutione.*

SCHOL.

Ad turbationum hujus affectus causas referimus merito malum ægri regimen, quo refrigeratione externa aut interna peccatur: sicut ad tractationem suscepitam, pertinet debitum ac legitimarum indicationum neglectio, aut præpostera applicatio. Quod si itaque ex alterutro capite hic morbus turbetur, tunc utique restitutio ægri intra dictum terminum non succedit, sed vel æger intra illum moritur; vel, si tempestive adhuc error commisus emendetur, morbus facilius in longius tempus protrahitur, atque ad undecimum, vel plane decimum quartum diem extenditur.

IX.

Relique acutarum, sive benignæ, sive malignæ; (exceptis pestilentialibus, que quartum vel septimum diem vix transcendunt) ordinarie tribus septenariis cursum suum absolvunt.

SCHOL.

Primo enim septenario principium & incrementum, secundo status, & tertio declinatio absolvitur atque comprehenditur. Ubi tamen fundamenti loco monemus, numerationem dierum apud Medicos in hisce casibus ac morbis non institui modo vulgari, secundum dies mensium; sed Medicos initium computationis instituere a prima invasionis morbi hora, quocunque diei aut noctis tempore illa demum fuerit, & ab hoc termino semper viginti quatuor horas pro uno die habere.

X.

*Ad specialissima morborum tempora pertinent partim tem-
pora critica, in genere acutis familiaria: partim illa, qua*

aliquibus acutorum, respectu certorum phænomenorum aut symptomatum, plane propria existunt.

SCHOL.

Ratione criticorum temporum atqne dierum, in genere est notandum, ordinarie numerum hic septenarium observari, cum semiseptenario: unde septenarii dies criticorum, semiseptenarii autem indicatoriorum titulum obtinent, eam ob rationem, quod septimo die ordinarie ea sequatur crisis, aut lysis morbi, de qua semileptenarius dies, proxime antecedens, aliquod indicium suppeditavit atque præmisit.

Ita v.g. hæmorrhagia narium, die septimo aut decimo quarto sperandæ aut successuræ, indicium sæpe est, si die morbi quarto aut undecimo, oculi rubentes apparent, cum capitis doloribus, aut aliquot sanguinis guttae stillare incipiunt: sicuti delirii subsecuturi, aut imminentis indicium ac prognosin præbet, si præter spem indicata hæmorrhagia emaneat, & non succedat, in vigore manente febre.

Et hoc quoque spectat canon ille Hippocratis: acuti morbi in quatuordecim diebus judicantur, & qui tunc non judicantur, judicantur vigesimo primo: & Sect. Aph. 2. Aph. 24. Septimorum quartus est index. Alterius septimanæ octavus est initium. Notandus vero undecimus; is enim quartus est alterius septimanæ. Notandus rursus decimus septimus: hic enim quartus quidem a decimo quarto, septimus vero ab undecimo.

XI.

Specialissima morborum tempora, que aliquibus saltem morborum acutorum, respectu certorum phænomenorum, competent, non minus equidem sunt critica, atque in genere cum mox antecedentibus coincidunt, verum ratione circumstantiarum hic singularem considerationem subeunt: sunt autem morbi exanthematici præcipue, in quibus hæc observantur.

SCHOL.

Ita petechiales maculæ septimum ordinarie morbi diem, proprium

prium eruptionis terminum agnoscent, atque ad decimum quartum durant, antequam plane iterum evanescunt; nisi forsitan epidemica aliqua aëris constitutio aliquando, & quidem rarius, contrarium producat, ut tardius circa decimum quartum prorumpant: in quo casu etiam continet, ut universa febris, non septenario tertio, sed quarto demum, vel se cundum Hippocratem, trigesimo demum die absolvatur & terminetur.

Si autem, excepto hoc casu, maculae petechiales, vel ante, vel post septimum erumpunt, prius turbationem & nimiam motuum naturæ exacerbationem, posterius autem motuum languorem, viriumque defectum testatur, & utrumque funestum eventum minatur: maxime omnium autem sextus dies in hoc negotio suspectum ab omni ævo se reddidit, unde in genere medicorum cohors ipsi tyranni titulum imposuit, cum constanter observaverint, omnes ejusmodi excretiones, quæ critico die fieri debent, si sexto contingant, semper funestum sortiri eventum.

XII.

De morbillis atque variolis notum est, certum ipsis ac destinatum esse eruptionis tempus.

SCHOL.

Dies nempe quartus est, quo semper & ordinarie, si legitime decurrunt, efflorescere incipiunt; ubi morbilli ab hoc termino ad undecimum usque continuare solent, ac deinde successive evanescunt, ut ægri circa decimum quartum ordinarie restituti apparent.

Variolæ autem, postquam die quarto eruperunt, efflorescentiam ordinarie usque ad sextum continuant, & ad septimum usque incrementum capiunt; quo facto a septimo ad undecimum successive maturescunt, & circa hunc terminum pedentim rumpuntur, ita, ut circa decimum quartum maximam partem ad minimum desiccatae existant, ægrisque orthostadiam iterum concedant.

XIII.

Respectu purpuræ miliaris non semper adeo firma, certaque tempora determinari possunt.

SCHOL.

Quotidiana enim experientia testatur, quod, quamvis quandoque

62 PARS I. CAP. VI. DE MORBORUM TEMPO|RIBUS.

& satis frequenter, die septimo morbi prorumpat, nec non ad alterum septenarium duret, nihilominus æque frequenter, modo citius, modo tardius, neque præcise criticis diebus, prorumpat, & haud raro durationis terminum satis longum servet, aut licet evanescat, facilime tamen de novo prorumpat, ita ut non semper aliquid certi de illa supponi queat.

XIV.

*Nec minus peripneumonia, preter ea, quæ jam notavimus,
specialissimis temporibus gaudet.*

SCHOL.

Dictum quidem fuit in antecedentibus, quod unius septenarii termino ordinarie absolvatur, si legitime succedat atque tractetur: sciendum tamen, hunc quoque affectum certis ac specialissimis temporibus gaudere; licet enim generalis decursus periodus termino septenario absolvatur, tamen materiae suppuratio atque excretio speciales terminos habet, unde notum esse debet, maturationem ipsius materiae inclusæ intra tertium diem absolvvi, eoque excretionem sputi cruenti incipere, hancque die tertio, quarto, & quinto maximopere durare, ubi iterum minuitur, circa septimum penitus evanescit, sensusque pruritus in læsionis loco, cum tussis cessatione, morbi absoluti indicium præbet.

XV.

*Hec dicta temporum morborum legitima consideratio maxi-
mi usus existit in medicina practica.*

SCHOL.

Quapropter omnia dicta morborum tempora bene perspecta habere debet Medicus, eorumque notitiam in singulis ejusmodi morbis attente applicare, ne ex illorum inficitia, aut neglectione, methodo mendendi perversa, quidquam pervertat, motus naturæ turbet, novos, eosque inconvenientes motus provocet, & ita ægrum in gravissimum vitæ periculum conjiciat, sed potius adhibita debita attentione, omnia impedimenta felicioris successus removeat, & ita sinistrum successum pro viribus præoccupet.

CAP.

CAPUT VII. DE MORBORUM SYMPTOMA- TIBUS.

I.



*Symptomata morbi, tam a morbo ipso, quam a causa
morbifica differunt.*

SCHOL.

Notissimum est in scholis Medicorum, distinctionem semper factam esse morbi ipsius, seu lesionis primariæ, in corpore vivo ortæ, causæ morbificæ lesionem producentis aut minitantis, & symptomatum, lesionem concomitantium & insequentium. Nec plane inutilis aut de nihilo est hæc distinctione, modo optandum esset, ut vera illius applicatio & explicatio adhibita fuisset, prout veræ pathologiæ & praxeos fundamentis respondere deberet.

II.

*Vulgaris explicatio symptomatis, quod sit actionum lesio, a
morbo inducta, & effectus ipsius lesionis, ad aliquos quidem affec-
tus, non autem ad omnes applicari potest.*

SCHOL.

Valet hæc explicatio, de lesionibus exterharum partium vulneratorii: has enim, si consideremus, partis specialiter affectæ actio lœsa erit tale symtoma, quod simul effectus lesionis inductæ esse potest, ac dici meretur. Pariter in affectibus paralyticis resolutio toni vitalis partium fibrosarum effectum producit in parte affecta, qui symtoma vocatur, & per actionis lesionem ipsius membra paralyticæ sese exferit & manifestat.

III.

*Molestia, molestaque sensationes, qua præsente morbo, aut
causa morbifica, agrum afficiunt, & lesionem sive imminentem,
sive inductam, sequuntur, & comitantur, nec tamen sive lesio-
nem*

nem ipsam, sive causam morbificam constituunt, quamvis illis deficientibus, non adsint; dicuntur vero sensu, symptomata, accidentia & morbi consectoria.

SCHOL.

Revocamus hic in mentem ea, quæ Cap. II. dicta sunt, non omne id, quod morbum appellare solemus, revera læsionem partibus actu jam intulisse, aut morbum esse, sed potius actum aliquem ipsius naturæ, corpori quidem vivo molestum, nullatenus tamen noxiū, sed eum in finem ab ipso principio vitali susceptum ac adornatum, ut causa læsionis vel jam factæ, vel imminentis, aut alteretur, aut excernatur & removeatur.

Hunc naturæ actum, in se legitimum ac naturalem, licet quoad gradum extraordinarium ac præternaturale, sapissime, imo ordinarie, sequuntur tales molestiæ, atque incommodæ sensationes, quæ non adfert, nisi dictus contra causam morbificam susceptus fuerit actus, & quæ superata ac exturbata causa morbifica, & cessante actu naturæ, contra & propter illam suscepto, iterum evanescunt & cessant.

Melioris illustrationis causa, ponamus febrem aliquam acutam malignam: exserit se hæc febris essentialiter, & primario sub pulsus præternaturalibus alterationibus, e quieto, placido, ordinato, in celerem, frequenter, inæqualem, fortiorum aut debilem, quam pulsus mutationem a statu naturali ipsam febrem, morbumque salutare solent: quod tamen minus recte & accurate fit. Ipsa læsio enim hoc in casu, præcipue ab initio mōrbi, nondum facta est, sed imminet saltē a causa aliqua peregrina, sive in corpore generata, sive alitide ad illud delata, in humoribus hospitante; quæ læsio, si penitus in actum deduceretur, in dissolutione mixtionis animalis terminum suum haberet.

Ad hanc læsionem, toti corpori interitum minitantem, avertendam, & propter causæ morbificæ, vel lædentis, tempestivam eliminationem, natura motum sanguinis suscipit vehementiorem, cordisque pulsū, gradu quidem extraordinarie & p. n. respectu necessitatis aut utilitatis autem nequaquam contra naturam aut rationem, auget atque intendit, quo sub ipso hoc auctiore motu, ejusque assidua continuatione, materia noxia læsionem irreparabilem inducitur, subigatur, & per organa secretoria & excretoria, e massa humorum removetur, atque e corpore eliminetur.

Sub

Sub hoc actu naturæ, contra læsionem & læsionis causam suscepto, accidunt ægro diversæ molestiæ, de quibus tunc temporis conqueritur, quales sunt: calor, æstuusque præternaturalis, sitis, capitis dolores, vigilia, lassitudo, appetitus dejectio, sudor extraordinarius, anxietates atque angores, aliaque plura. Omnes hæc molestiæ, cum neque ipsam læsionem aut morbum constituant, neque ad causam referri possint, symptomata, vel accidentia febris dicuntur, quoniam præterea cum ipsa febre cessante iterum cessant.

IV.

Symptomatum, quæ in morbis occurruunt, alia sunt essentialia, alia vero accidentalia.

SCHOL.

Occurrunt enim omni die symptomata sub morbis, quæ extra morbum præsentem quidem non adsunt, verum tamen neque cum ipsa læsione, neque cum causa morbifica immediatam connexionem habent; hinc dicta distinctione ortum cepit, præcipue cum alia sepe adsint, de quibus longe aliter sentire debet Medicus. Quamobrem illa dicuntur essentialia, aut ad morbi essentiam pertinentia symptomata, quæ immediate, vel cum morbo, vel cum causa morbi connexionem habent, ita ut hic præsens morbus ordinarie, & in omnibus aut plurimis individuis, sine illis non reperiatur aut esse possit; hæc autem talia existunt, quæ non semper in omnibus aut plurimis individuis eundem morbum comitantur, sed ex alia quadam causa accessoria regiminis, diætæ, animali pathematum, nascuntur & producuntur, & post hujus causæ remotionem ut plurimum cedunt, licet ipse morbus nondum cesseret, sed ordinariū suum cursum adhuc prosequeatur.

V.

Distinctio hec symptomatum in praxi medica maximam habet utilitatem & necessitatem.

SCHOL.

Sicuti enim v. g. in febre aliqua dolor capitis specialiter æstuosus, in uno quodam ægro adesse potest, qui forsitan non procul a fornace æstuante decumbit; aut vomitus ægrum per totum paroxysmum tor-
Coschowitzii Pathologia. I quet,

quet, qui sub eodem magnam frigidí potus copiam ingurgitat, eamque avide ac impetuose ingerit: vel sub leviore nephritide in mihiū cruentum æger incidere potest, si forsitan diureticis calidioribus internis, aut oleis ac linimentis valde calidis externis, præter methodum, tractatus fuerit; quæ symptomata omnia aliis, iisdem morbis decumbentibus, non eveniunt, quoniam easdem causas occasioales, a quibus ortum ducere potuerunt, evitarunt; ita simile quid in quoconque morbo, ratione plurium symptomatum contingere potest, unde sane necesse est, ac valde proficuum, ut Medicus hanc symptomatum differentiam in omni morbo probe calleat atque noscat, eum in finem, ut sibi caveat, ne directe moribus naturæ utilibus, atque in bonum finem institutis se opponat, eosque per symptomatum molestorum, ad essentiam morbi pertinentium, suppressionem intempestivam attentatam pervertat, totius morbi ordinem invertat, & ægrum in maxima sepe pericula præcipitet, sed potius sciat, se talia symptomata essentia, citra causarum aut morbi fundamentalem remotionem, cum ægrorum vero emolumen-
to tollere neque posse, neque debere. Quicquid autem respectu illorum efficere potest, id nude in causarum, aut læsionum methodica sublatione erit querendum; quod, si Medicus non attendit, nil nisi symptomatum palliationes, eorumque utplurimum tanto graviores recursus producet. De reliquis minus essentiaibus monendus est, ut semper proximis, ut per illarum quoque sublationem eadem e medio tollere possit.

CAPUT VIII. DE LÆSIONIBUS HUMORUM IN GENERE.

I.

Læsiones, quibus fluidæ nostri corporis partes subjiciuntur, commode ad tres potissimum classes referuntur.

SCHOL,

SCHOL.

Respicunt enim humorum lœsiones, vel eorundem quantitatem, vel qualitatem & crasis: vel denique illorum motum.

II.

Quantitas humorum lœsa in conspectum venit vel sub excessu, vel sub defectu.

SCHOL.

Excessus quantitatis dicitur abundantia, & æque ac ex opposito defectus, applicationis locum invenit circa omnes, tam universales, quam particulares corporis nostri humores: in specie tamen respectu sanguinis plethorae titulum gerit.

III.

Et abundantia, & defectus humorum, facili negotio reliquarum lesionum cause existere possunt.

SCHOL.

Abundantia enim humorum quando mole sua proportionem viarum superat, non minus causam lœsionis motus humorum constituit, e qua lœsione motus deinde facili negotio lœsio quoque craseos aut qualitatis ortum ducere potest. Si autem defectus quantitatis peccent humores, occasionem præbent facilitiori viarum collapsui, & passivæ angustationi, quo ipso, successu temporis, obstructionibus, & impedito negotio secretionum, via sternitur, ac pedetentim discrasia humorum introducitur.

IV.

Qualitatis vel craseos lœsio respicit vel humorum consistenciam, vel eorundem mixtionem; ita tamen, ut vel consistencia sola, vel sola mixtio, vel utraque simul lœsa esse possit.

V.

Quoad consistenciam humores lœduntur, vel spissitudine, vel nimia tenuitate.

SCHOL.

Spissitudine extraordinaria, motus illorum progressivus tardior redditur, & transitus per vasa angustiora, imo capillaria, nec non per

partium porosarum substantiam impeditur. Tenuitate autem nimia præsente, nimirum cito organa secretoria prætereunt, & translabuntur, quo fit, ut particulis heterogeneis imbuti, eas facilius retineant, atque difficilius ab illis liberentur, aut profusionibus variis passivis ansam præbeant, vel denique sub activis congestionibus tanto facilius, promptiusque profundantur.

VI.

Mixtio humorum diversimode lreditur, pro diversitate particularum heterogenearum, humorum mixtionem extra ordinem ingredientium.

SCHOL.

Si enim a mucidarum partium accessu ad lentorem, vappescentiam, & muciditatem disponuntur; a sulphureis, volatilibus, atque activis particulis valde attenuantur, expanduntur, orgaftice & intestine commoven-
tur, eoque ipso ad dissolutionem mixtionis naturalis tanto aptiores reddun-
tur: salinis aut acidis accedentibus particulis, si in copia hoc fiat, acres,
caustici, & corrosivi subinde fiunt, & variis generis exulcerationes cau-
santur: quod tamen non tam de tota humorum massa universim, quam
potius de humoribus singulatim consideratis intelligendum est.

Quando autem ex diversorum humorum particularium impuritate & discrasia, in universaliores humores aliquando læsio craseos redundat, tunc hæc qualitatis humorum universalior læsio ordinarie titulo caco-
chymie insignitur.

VII.

*Læsiones, que circa motum humorum contingunt, concer-
nunt vel motum illorum progressivum, atque localem, vel mo-
tum fluiditatis aut intestinum.*

SCHOL.

Uterque motus, cum suis læsionibus, considerationem meretur me-
dicam, quoniam unus ab altero dependet. Etiamsi enim motus localis & progressivus potissimum partem a solidorum motu dependeat & suf-
fulciatur, dum partium fibrosarum motu, partim tonico, partim vo-
luntario, partim in quibusdam partibus manifeste systolico & diastolico, e
loco in locum moventur, nihilominus tamen solidæ partes in fluidas agere
haud possent, earumque progressum promovere & conservare, nisi flu-
ditas,

ditas, a motu singularum particularum, fluidas constituentium, intestino dependens, præsto esset, iisque dispositionem largiretur, ut facili motu e loco in locum moveri possent.

VIII.

Motus humorum localis leditur, vel simplici progressus impedimento; vel motu extraordinario & inæquali: vel motu demum plane retrogrado.

SCHOL.

Primum fit, quando per vias constrictas, aut ab impuritatibus obstructas, motum ordinarium humores continuare nequeunt, sed in progressu suo impediuntur.

Alterum potissimum contingit sub variis congestionibus, ubi non æqualiter per universum corpus, sed particulariter ad certam partem extra quotidianum ordinem feruntur.

Tertium autem accidit sub spasticis partium solidarum stricturis, unde humorum retrocessiones & metastases ortum ducunt.

IX.

Motus fluiditatis & intestines, pro varietate causarum, variis subjicitur lesionum modis.

SCHOL.

Quando nempe vel impuritates mucidæ ac viscidæ lentorem inducunt, vel refrigerationes externæ spissescientiam & grumositatem coagulatoriam producunt: vel a partibus sulphureis subtilibus & agilioribus motus humorum orgastricus expansorius ortum dicit.

X.

Omnes modo recensita lesiones humorum, quamvis diversos respectus habeant, & diversimode occurrant, ita tamen comparatae sunt, ut una facillimo negotio alteram post se trahat, & presente una illarum aut altera, reliqua facillime sequantur & oriantur.

SCHOL.

Sicut enim in superioribus diximus, abundantiam humorum, pro-

portionem vasorum excedentem & superantem, impedimentum esse motus progressivi, quo impedito, secretionum negotium impeditur, & discrasia humorum producitur: ita ex altera parte facile quisque deprehendet, humorum discrasiam non minus motus impeditioris causam fieri posse. Quid enim, quæso, ex falsa corruptione, lymphæ v. gr. & seri, præter len-torem & muciditatem utriusque producitur? Lentore autem inducto, motus progressivus retardatur, reliquæ impuritates augentur, & totum secretionum & excretionum negotium sufflaminatur. Si autem discrasia sulphurea urgeat, nil nisi motus orgastici, expansorii, congestorii, & elu-ctatorii inde oriri possunt.

CAPUT IX. DE LÆSIONIBUS MOTUUM IN GENERE.

I.

Motuum lœsiones, de quibus hic sermo est, funda-
mentum suum habent in partium solidarum alte-
ratione morboſa.

SCHOOL.

Quemadmodum enim in antecedente capite lœsiones humorum, vel partium fluidarum in genere, indicavimus, ita tractationis ordo postu-lat, ut illas quoque lœsiones generatim indigitemus, quæ partes solidas præcipue respiciunt; & quoniam solidæ partes motuum instrumentum constituunt, horumque lœsiones aut alterationes maxime in sensus incur-runt, motuum lœsiones aut morbi nominari merentur.

II.

Consideramus autem hic illas motuum alterationes mor-
bosas, quæ intrinsecam causam, a principiis moventis erroribus de-
pendentem, agnoscunt, & tanquam horum effectus, in partes so-
lidæ

lidias redundantes, atque per illas sese manifestantes, medico-pathologicam subeunt considerationem.

SCHOL.

Excludimus itaque in praesenti a nostra tractatione illas motuum lœsiones passivas, quæ organorum aut instrumentorum, partium nempe solidarum materiales lœsiones, quatenus in vitiis vel conformatio[n]is, quo ad magnitudinem, figuram, numerum aut situm: vel unitatis, & contiguitatis, sub titulo vulnerum, contusionum, ulcerum, rupturarum, fracturæ, cariei ossium, aut luxationum & subluxationum, consistunt, pro causa antecedente agnoscunt, quippe quæ ad chirurgiam spectant, atque sub ilius tractatione occurunt; quamobrem harum lœsionum in transitu saltem meminisse sufficiat.

III.

Dictæ motuum lœsiones dupli modo sese manifestant; dum a statu naturali deflectunt vel in excessu vel in defectu.

IV.

Excessus ille motuum, per partes solidas sese manifestans, respectu partium, quas in specie afficit, est varius, licet in se spectatus, sit unus & idem.

SCHOL.

Ita enim motus in corde atque arteriis naturalem modum atque gradum excedit atque superat, quando pulsus mutatio in excessu observatur, isque celerior, frequenter, plenior, fortior existit, id quod vel in febribus, vel aliis quoque corporis motibus exagitatoriis contingere solet.

Quod si vero motuum excessus in partibus reliquis solidis molibus, & quidem magis æqualiter contingat, spasmus dicitur, qui varias inducit partium fibrosarum stricturas, eoque ipso vel humorum motum progressivum, hincque simul pendentes secretiones & excretiones pene impedit, vel irregularem reddit, quod facile videmus in variis congestionibus, hinc inde in corpore obtingentibus.

Quando dictæ motuum exacerbationes vel unam solum aliquam partem, vel varias, vague tamen afficiunt, in scholis medicis rheumatismorum,

vel

vel arthriticarum passionum titulum obtinere solent. Si autem sub hac motuum exacerbatione, violentæ, repentinae, pertinaces motuum spasticorum reciproce exacerbationes & remissiones observantur, quæ quasi momentaneæ reciprocationis ferram movent, signum exinde convulsuum desumitur: quarum ultimus summusque gradus in Epilepsia terminatur.

V.

Defectus motuum non minus variis sese exserunt modis, ac in conspectum veniunt, prout nempe vel omnes aut plurimas, vel ad minimum principaliores nobilioresque, vel saltem aliquas corporis nostri partes adficiunt.

SCHOL.

Si enim cor & arteriæ motuum defectu laborant, pulsus debilitas, languor, imo cessatio inde emergit: si respectu motus tonici partium solidarum, vel in genere, vel in specie hic defectus occurrit, affectus atonia vocatur, quæ tam universaliter contingere potest in habitu corporis externo, ac sese exserit sub partium tremore, quam particulariter in uno altero membro, aut partibus internis, ventriculo & intestinis; ubi in specie effectus hujus atoniae sub flatulentia nimia, nec non sub diarrhoeis serosis in conspectum venit.

Quod si vero hic motuum defectus temporarius, respectu omnium motuum vitalium simul, in consensum quoque tractis voluntariis, occurrit, pro diversitate gradus, tam impetus, quam durationis, exinde emergunt atque nascuntur, lipothymiae, syncopes, apoplexia; quod si partes aliquas certas, non autem totum corpus adficiat, hemiplegiam, paralysin, aut paresin constituit. Si tandem omnium motuum in universum defectus simultaneus atque continuus occurrit, hæc motuum plenaria cessatio mortis titulum obtinet.

His ita breviter præmissis transitum nunc facimus ad pathologiæ partem alteram, in qua jactis pathologiæ generalis fundamentis necessariis, specialiorem de causis mörborum singulorum specialibus, doctrinam suppeditabimus.

PATHO-